HYPOMNESES

DE GALL. LINGVA,

PEREGRINIS EAM DISCEN-

tibus neceſſariæ: quædã verò ipſis etiam Gallis multum profuturæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Inſperſa ſunt nonnulla, partim ad Græcam, partim ad Lat. linguam pertinentia, minimè vulgaria.

Autore HENR. STEPHANO: qui & Gallicam patris ſui Grammaticen adiunxit.

CL. MITALERII EPIST.
De vocabulis quæ Iudæi in Galliam introduxerunt.

Du Roncel.

M. D. LXXXII.

D. [illegible] H. S. D. D.

HENRICVS STEPHANVS LECTORI GALLICAE linguae studioso S.D.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

SI paulo diutius suæ Gallici sermonis Grammaticæ superuixisset Robertus Stephanus, pater meus, hoc quicquid est laboris nequaquam mihi reliquisset, neque alia quàm sua manu hoc corollariũ (si tamen hac uti voce hîc possum) operi vel potius opusculo suo adiici passus fuisset. Nunc verò, quum nec ille, morte præuentus, præstare id potuerit, nec alius tandem has illius partes susceperit: pio me officio ac verè meo functurum esse putaui, si eius viuentis desiderio, etiam eo defuncto, satisfacerem: satisfacere quidem certè conarer. Inuitauit me (vt verum fatear) is quoque amor quo hanc patriæ meæ linguam, pro eo ac debeo, prosequor: & alacriorem simúlque audentiorem (audaciorem enim nolim dicere) ad opus aggrediendum reddidit, iam nauata circa eandem linguam opera. Quum enim refellẽdi mihi coram rege nostro essent qui sermonem Italicũ nostro anteponebant (qua de re li-

bellum etiam edidi postea qui de Gallicæ linguæ præcellentia est inscriptus) penitius quàm antea vnquã introspiciendæ mihi omnes nostri sermonis partes fuerunt.

Quinetiam, alia ex parte, tot extraneorum me miserebat, qui discendæ linguæ nostræ cupidi, quasdam Grammaticas Institutiones legunt, in quibus multa docentur quæ dedoceri necesse habent. Quum enim pleraque ibi non Gallica sed pseudogallica sint, hæc dediscant, illa horum loco (si voti cõpotes esse volunt) discant oportet. Qualia autem sint hæc, satis multis exemplis ostendi: autorum tamen nominibus parcens, & quota quidque pagina scriptum sit, annotare contentus. Equidem quòd exteri iis nihilominus, tanquam de se bene meritis, gratiam habent, id non inuideo: quòd ipsi bene de exteris mereri studuerint, non reprehendo: sed quòd illos non admonuerint, sibi vsquequaque fidendum non esse, (vtpote nec in ea Galliæ parte natis, quæ, excepto vulgo, magis quàm alia vlla verè Gallico sermone vtitur, nec inter purè loquentes educatis) id verò dignum reprehensione existimo.

Sed quænam tandem ea est Galliæ pars quæ hoc nomine commendari queat? Ea profectò quæ propriè Francia nominatur. Verùm vt Francia præ aliis Galliæ partibus, iisque potissimum quæ in eius sunt confiniis, hanc laudem meretur: ita Franciæ vrbes quæ Lutetiæ circũvicinæ sunt, alias aliis ea digniores esse nõ inficior: sic tamen vt hæ quoque ab illa superentur. Sermonis enim verè Gallici (sicut & ipsius Galliæ) metropolin esse Lutetiam dico.

An igitur Gallicæ linguæ puritatem Lutetianis pomœriis includis? Imo verò ne tota quidem Francia ita eam includo, vt reliqua Gallia prorsus excludam: sed qui purè loquantur, per totam Galliam esse fateor: sic tamen vt hanc puritatem aliæ vrbes velut natiuam, aliæ tanquam aduentitiam potius habeant.

Quid? an ex iis qui Parisiis nati sunt, & inter eos qui purius quàm cæteri loqui existimantur, fuerunt educati, nulli in sermone quicquam peccant? Hoc ego minimè negauerim, siquis eorum etiam qui in præcipuis Francia vrbibus nati sunt (vulgus semper excipio) singula examinare verba voluerit, fieri non posse quin nonnulli aliquid vitij, ex sua quisque, retinere comperiantur, siue in alicuius vocabuli pronuntiatione, siue in vsurpatione cuiuspiam, quod vix vrbis illius pomœria egreditur. Atque adeo fateor posse contingere eorum quoque nonnullis qui in purè loquentium numero ponuntur, vt quemadmodum eius sermo qui Aurelia natus est, aliqua in parte Aurelianizabit, sermo nati Blesiis, seu Blesis, Blesizabit, nati apud Turones, Turonizabit: ita etiam nati Lutetiæ, alicubi Lutetianizet: sed talia, non tam vitia in oratione quàm idem quod næuos in pulchra facie esse dico. Sic certè eos Liuij locos in quibus Patauinitatem deprehendit Pollio, nihil habere putandum est quod barbarum potius quàm Latinum dici queat: sed tantùm aliquid quod à genuina Latini sermonis elegantia aliquantum discedit.

Cum tali autem exceptione intelligendum est quod antea de Lutetia dixi, eam non minus sermonis verè Gallici & puri, quàm ipsius Galliæ, esse metropolin.

Nisi quis, sicut Athenæ Græcia Græciæ appellatæ fuerunt, ita Lutetiam, ad sermonem etiam quod attinet, Franciam Franciæ vocare malit. Ac meritò certè vrbs ista primum hac etiam in laude locum obtinet, non quòd ab aula frequentetur (fuit enim tempus quum in ea sermonis puritas quærenda esset: at nunc in eo, sicut & alius in rebus, miram & planè deprauatricem licentiam vsurpat) sed quòd eam curiam habeat quæ Parlamentum vernacula voce nominatur: vbi licentiosus sermo tam rarò, quàm frequenter in aula, auditur: & quum hîc ei applaudatur, illic explauditur.

Quemadmodum autem Græca in lingua præcipuè quidem sermo Atticus laudatur, sed ita vt peculiarem quandam laudem alicubi vnaquæque dialectus mereatur: sic profectò, quamuis Gallica lingua in ea potissimum quam dixi Galliæ parte sedem habeat, nõ paruum tamen illi decus atque incrementum sunt dialecti: atque ibi quidem commoratur, sed tamen ita vt per has, tanquam colonias, longè illi sit iucundissimum aliquando expatiari, ac nonnulla quæ illis propria sunt vocabula domum referre. Scio & aliis quibusdam vernaculis linguis suas esse dialectos: sed non quæ eodem modo Latinæ linguæ opes inter se sint partitæ. Singulæ enim fere quæpiam Latinorum vocabula, id est ab eorum sermone oriunda, sibi peculiaria habent: quorum nonnulla (sicut & aliorum quæ illæ aliunde acceperunt) vsurpant interdum ij etiam qui alioqui sermonem suum intra eos quos dixi fines continent. Eodem sanè modo Atticam linguam, quæ in plerisque ab ea quæ communis appellatur non discre-

pat,

pat, ab Ionibus multa, nonnulla etiam à Doribus mutuatam esse videmus. Atque vt Attici vocibus quas inde sumpserunt, terminationem suam, tanquam nouam vestem, detracta veteri, dederunt: (πρῶλω enim dixerunt, exempli gratia, non πρῶαν, cum Doribus: quanuis hanc ab illis vocem mutuati sint, vt quidam tradunt) ita & nos in quibusdam quæ ex quapiam dialecto sumpsimus vocabulis, feciſſe comperiemur. Neque enim qui Gallica retinere linguæ puritatem volet, Puar la vigne dicere audebit: (quod Puar ex Putare factum est (nam & apud Virgilium Putare vitem legimus) at Puer la vigne dicere, in versu præsertim, non timebit. Itidem vero non Arar (quo vtuntur idem qui illo Puar) sed Arer ab eo dicetur.

Quinetiam contigit in quibusdam Latinis vocibus vt ipsæ quidem, parua cum immutatione, in vna Gallia parte sint vsitatæ, at verbalia quæ ex eis facta sunt, in alia. Ne longè abeam, vbi illud verbum Arar in vsu est, vix audias Arable: vbi vero valde vsitatum est Terre arable, non est item Arar, aut Arer, mutata terminatione. Ex Latino verbo Arare factũ à nostris maioribus fuit & nomen verbale Arec: quod vnum alicubi vsurpatur. Esse autem antiquum, ex antiquo prouerbio constat, Les gros bœufs ne font pas les grandes arees.

Quid quòd in quarundam rerum appellationibus vna Galliæ pars Latinum, altera Græcum vocabulum est mutuata? In nonnullarum vero, vnum quidem sermonem pars vna, eius sumendo vocem: alterum autem altera, vim vocis illius exprimendo, est sequuta. Exemplo erunt, Pimar & Becquebo. nam qui

Pimart *dicunt, Latinorum Picum Martium repræsentant: (quum* Pimart *sit Picus Martius, & initio quidem* Picmart, *per vtriusque vocis Latinæ apocopen, postea verò* Pimart *dictum fuerit, exempta mollioris soni ergo litera* c) *at quibus in vsu est* Bequebo, *ab iis planè vis Græci vocabuli* δυσκολέπλης *repræsentatur.*

Laudanda verò & hîc maiorum nostrorum prudentia, quòd quum Latinos in quibusdam vocabulis è Græco sermone sumptis vnam ex eorum significationibus viderent omisisse, eam tamen & ipsi in suis prætermittere vocibus noluerunt, licet eas non à Græcis sed à Latinis mutuarentur. Exempli gratia: Sicut ex Latino Differre, facto è Græco διαφέρειν, *sumpsimus* Differer, *ita* Different & Difference, *ex Differens & Differentia: verùm quum Græcos* διάφορον *non pro eo tantùm vsurpare viderent pro quo Latinis in vsu est Differens, sed etiam pro dissidio & controuersia: placuit illis vocem itidem suam* Different *in hac quoque significatione vsurpare.*

Nec verò quarundam duntaxat vocum, quas vt ipsi à Latinis accipiebant, ita hi à Græcis sumpserãt, significationem ita extenderunt: sed in aliis quoque idem factum ab illis fuit. Quum enim dicimus, Il me souuient de cela, *est quidem hoc* Souuient *ex Latino Subuenit factum (vt* Aduient, Reuient, Suruient, &c. *ex Aduenit, Reuenit, Superuenit, &c.) sed in hac significatione imitamur Græcum verbum* ὑπέρχεται, *quod propriè illi Latino, ob similem planè compositionis formam, respondet. Sic tamen vt fatear, non minus frequenter, vel potius, magis etiam fre-*

quenter

q̄uenter ἐπέρχεσθαι dici quod nobis in mentem venit. Hoc quoque non omittam, nos, istam significationem verbo Latino dantes, in prima syllaba vti mutatione, qua non itidem vtimur quum verbo Subuenire suam succurrendi significationem damus. Dicimus enim Subuenir.

Minimè autem, quod dico de nostra Graci sermonis in duobus illis vocabulis imitatione, nouum illis videbitur qui vocibus etiam planè Gracis abundare nostram linguam (quarum pleraque ex ipso fonte hausta à maioribus nostris fuerunt, non autem ex Latinorum riuis ad nos emanarunt) & quidem ex eo esse numero aliquot, quarum vim nulla lingua vernacula, sicut nec Latina, vllo assequi modo possit. Inter quæ omittendum non fuerit ῥίμβεσθαι.

Verùm, vt nunc de iis tantùm loquar quæ sumpta è Latino sermone fuerunt, quāti vel hoc nomine æstimandus est sermo noster, quòd eius notitia ad Latinitatis quoque cognitionem aliquid confert? Primùm quidem dubitationes nonnullæ ab eo tolluntur. nam quum alij Excludere ouа, alij autem Excudere ouа dicant, Gallicum Esclorre, quod non ex hoc Excudere, sed ex illo Excludere, factum, hac ipsa de re in vsu est, vtra illarum vocum Latinarum recipi debeat, ostendit. Sic, Marculus dicendum non esse, (cum plerisq;) sed Martulus, Latinè loqui volenti, testātur nostra Martel & Marteau. Deinde propriā Latini vocabuli significationem Gallicum quod ex illo factū est, aliquando patefaciens, eos qui malè illud exponunt refellit. vt ab vsu nostri verbi Ordir, siue Ourdir, refelluntur qui Ordiri telam tradunt idem

esse quod Texere, Nec, fortasse, melius alicubi Fluida corpora queas exponere quàm nostrate Flouets.

Postremò quarundam Latinarum vocum, quæ in iis quos habemus scriptoribus minimè extant, nos admonet: vt simplicium verborum, Buere, & Serare: quum alioqui ex Buere compositum Imbuere, ex Serare composita Obserare & Reserare valde sint vsitata. Addam & Iuuencus, quod quũ apud Horatium Porphyrio quoque annotet veluenouum, tamen nostra vox Iuuenceau *minimè nouum nobis videri sinit.*

Multo autem plura è Latino sermone petita esse vocabula quàm quæ prima fronte illinc originem habere animaduertuntur, meus iste tractatus docebit. Hoc certè propemodum ausim dicere, pauca esse Latina vocabula, ex iis quorum frequentiorem apud scriptores videmus esse vsum, quæ in Gallico sermone non inueniantur, si quidem omnes etiam dialectos Galliæ eo nomine complectamur. Quinetiam vbi Latinitas duo, quæ synonyma sunt, habet, plerunque ab illa vtrunque accepisse comperiemur: sed ita interdum vt in verè Gallico & puriore sermone vnum, alterum in quapiam dialecto remanserit: & alicubi non omnino exactè differentia seruata fuerit. Exempli gratia, quasi Latini Bubonem & Vlulam, vnam eandémq; auem appellarint, ita Galli Hibou & Vlotte *de eadem dicunt: sed Picardica dialectus ex Vlula fecit* Vlotte, *cæteri ex Bubo,* Bubou, *deinde* Hubou, *tandem* Hibou *fecerunt. Nonnunquam verò, quum nomen primitiuum aliqua dialectus vsurpet, nos deriuato duntaxat vtimur. Nam* Aura *pro vento Sa-*

baudi

baudi & quidam alij dicunt : quum in verè Gallico & puriore sermone vsurpetur tantùm quod ab eo deriuatum est Aurage, pro nimbo, procella, turbine, tempestate. (Plerique omnes tamen Orage, non Aurage, scribunt, hanc deriuationem non animaduertentes.) (Cæterùm quod in hoc vocabulo, idem & in verbali nomine Arable contigit, (sicut antea ostendi) vt hoc in vsu sit, quanuis ipsum verbum à quo deductum est, tantùm dialecti quadam suo in sermone habeant.

Ne hoc quidem omittam, nostram linguam nonnulla etiam vocabula produxisse, quæ eiusmodi sunt vt fundamentis à Latina iactis esse superstructa, nemo sit inficiaturus.

Sed multo etiam maiorem nostræ linguæ iniuriam facerem, si hanc eius laudem prætermitterem (quanuis aptiorem inter illa quæ præcedunt locum habuisset) plurima esse in scriptoribus Græcis vocabula, nec pauca loquendi genera, quæ tam facile est ex Græcis Gallica, quàm difficile Latina facere. Quòd siquis me amori patriæ linguæ aliquid hîc dare suspicatur, illum oratum velim vt libri mei De Gallici sermonis cum Græco conuenientia partem eam legat, in qua hac de re differo, & exempla etiam affero. mea enim (sat scio) sententiæ statim subscribet.

De aliis verò in quibus peculiarem quandam lingua nostra laudem, miniméque cum Italica vel Hispanica communem, meretur, disserui in eo quem de præcellentia eius (linguæ inquam nostræ) scripsi libello. Metaphorarum multo quàm illas ditiorem esse ostendi, quòd eas non inde tantùm vnde & illæ,

petat, sed ab aucupio etiam & venatione multas elegantes pariter & iucundas: quoniam hæc quoque studia, liberalibus ingeniis dignissima, supra quamuis nationem & amant Galli & exercent. Quinetiam à quibusdam ludis nõnnullas: sed à pila præsertim ludo (qui apud eos frequentior quàm alium quenquam populum est) non paucas.

Enimuero nec cedere grauitate nostrã linguã alterutri illarũ, quin potius hac quoque in parte superiorẽ illis esse, si modò verborum delectus habeatur, ibidem docui. Nec tacui, Hispanicæ quidẽ talem grauitatem inesse qua Thrasonicum quiddam præ se ferat: Italicam autem, ideo grauiorem nostra quibusdam videri, quòd sermonem habeat in cuius pronuntiatione nonnisi lentè festinari potest: si singulæ voces plenè (id est, nulla syllaba per syncopen, etiam violentam, aut apocopen, fraudata) proferantur.

Quinetiam illi concursui vocum eandem terminationem habentium (quo nihil magis aures offendit) nostram minimè, sicut illas, obnoxiam esse, ostendi. Talis autem in Italica lingua concursus exemplum istud attuli, Signor mio, io dico da vero c'hio nõ ho dismentigato, & non dismentigaro mai, l'obligo ilquale ho appresso il vostro fratello: & che come fin adesso ho fatto tutto quello ch'o potuto per il negotio suo, & non ho mancato dal mio douero in officio nessuno: desidero anchora far tanto che sia satisfatto, mostrando mi in ogni suo bisogno non manco promto à seruirlo, che son stato per il tempo passato.

Vt autem hîc vocabulorum in vocalem o desi-

nentium

nentium concurſus aures radit, vel potius obtundit: ſic alibi eorum quæ vocali a finiuntur: velut in hac oratione, Io prego la ſignoria voſtra per la noſtra vecchia & intrinſeca amicitia, & per quella anchora che mi moſtraua tutta la famiglia quando ſtaua in caſa voſtra, che per queſta volta ſia contenta di far mi queſta corteſia.

Hæc quum ita ſint, eorum ſummopere laudandum conſilium eſt qui noſtra lingua potius quàm Italica aut Hiſpanica dant operam: aut trium harum ita ſunt ſtudioſi, vt illas quidem vtcunque diſcere, noſtram autem cupiant perdiſcere.

Eorum quidem certè deſiderio hunc meum libellum magna ſaltem ex parte ſatisfacturum ſpero: ac mihi gratiam eſſe habituros quòd primus eos de nonnullis monuerim, ad quæ lingua eorum ita impingere ſolebat, vt quod pedi ſunt caſpites, id ei eſſe illa dici poſſent. Vale.

HAS PAGINAS, QVÆ ALIOQVI VACATVRAE erant, placuit iis quæ ſequuntur implere, excerptis ex meo de Gallica lingua præcellentia libro. Ibi enim quanto ſermo noſter Italico ſit copioſior oſtendere volens, cum aliis argumentis nitor, tum verò quadam Italica loquendi genera, ex eorum numero quibus Aldus Manutius lingua illius vbertatem manifeſtam reddere conatur, profero: & pauciſſimis Italicis Gallica quamplurima oppono.

Ita igitur ille in titulo De republica.

Deue ogniuno attendere alla republica, co-

me al proprio intereſſe.

Deue ad ogniuno eſſere à cuore l'intereſſe publico, non meno che il proprio.

Debbiamo amare il ben commune, L'vtile della cita, Il commodo publico, Tutto cio che puo giouare alla republica, con quell' iſteſſo affetto che amiamo e noi ſteſſi, e le coſe noſtre.

Ecce primùm totidem Gallicas quæ illis Italicis omnino reſpondent.

(Animaduerte autem, literas s & t *& quaſdam alias iis in locis vbi inciſuram habent, non pronuntiari: ac totum hunc locum illis quæ in iſto libro attuli rectæ pronuntiationis exemplis aduce: ſimúlq; ad eas quæ de ea tradita ibi ſunt præceptiones examina.)*

Chacun doit penſer à la republique, comme à choſe où il va de ſon intereſt.

Chacun doit auoir à cueur l'intereſt du public, non moins que le ſien propre. *Vel,* Chacun doit prẽdre à cueur l'intereſt du public, &c.

Nous deuons aimer le bien commun, L'vtilité de la ville, Le prouſit public, Tout ce qui peut aider à la republique, auec ceſte meſme affection que nous portons à nouſmeſmes & à nos affaires.

Sed ecce alias multis partibus plures, quas ibi adieci ad illas quæ Italicis reſpondent.

Il faut que nous ne facions moins noſtre deuoir pour la republique, que pour nos familles. *Vel,* Il faut ne nous mettre moins en tout deuoir pour la republique que pour nos familles.

Chacun

Chacun doit auoir en recommandation ce qui concerne le bien public, autant que ce qui touche ſon particulier. *Vel*, Chacun doit auoir le bien public pour recommandé, autant que le ſien propre.

Le biẽ public nous doit eſtre d'auſſi pres que le noſtre. *Vel*, Nous deuons auoir le bien public autant à cueur que le noſtre.

Chacun doit procurer l'auancement du bien public comme du ſien. *Vel*, Chacun ſe doit employer à l'auancement du bien public,&c. *Vel*, Chacun doit tenir la main à l'auanc.&c. *Vel*, Chacun doit veiller à l'auanc. &c. *Vel*, Chacun doit auoir l'œil ſur l'auanc.&c. *Vel*, Nous deuons auoir deuant les yeux le prouſit public,auſſi bien que le noſtre.

Il faut porter la meſme affection à ce qui reuient au prouſit du commun,que nous portons à ce qui doit reuenir au noſtre. *Vel*, Il ne ſe faut moins affectionner à ce qui eſt pour le bien public,qu'à ce qui concerne le noſtre.

Il ne ſe faut moins formalizer pour le bien public,que pour le noſtre.

Chacun doit pourchaſſer d'auſſi grand courage le bien de la republique que le ſien.

Chacun doit autant chercher l'auantage du public,que le ſien propre.

Nous ne deuons nous eſtudier moins à faire ce qui eſt expedient au public, qu'à ce qui le ſeroit à noſtre particulier.

Il ne faut pas poſtpoſer les affaires du public

. aux noſtres. *Vel*, Il ne faut preferer nos affaires aux publiques.

Nous ne deuons point mettre de difference entre les negoces de la republique & les noſtres.

Nous deuons mettre les affaires publiques au meſme reng q̃ les noſtres, *Vel*, au meſme degré.

La raiſon veut que nous eſpouſions les affaires du public comme les noſtres.

Nous deuons eſtimer que les affaires de la republique nous touchent autant que les noſtres. *Vel*, d'auſſi pres que les noſtres.

Nous ne deuons pas moins faire eſtat de ce qui tourne au prouſit de la ville, que s'il tournoit au noſtre. *Vel*, moins faire d'eſtat.

Il eſt raiſonnable que nous facions eſtat de ce qui importe à la republique, comme s'il importoit à nos affaires domeſtiques.

Nous ſommes tenus d'embraſſer les affaires de la republique comme les noſtres.

Nous ne deuons eſtre moins promts à faire ſeruice au public, que nous ſommes ſongneux de noſtre faict.

Il conuient que nous ſoyons auſſi ſongneux des affaires publiques que des noſtres.

Il nous faut procurer les affaires du public auec auſſi grand ſoin & diligẽce que les noſtres.

Il n'eſt raiſonnable que nous prenions moins de pene apres les affaires de la republique qu'apres les noſtres.

Cætera ibi vide, quum hac pagina plura capi non poſſint.

HYPOMNESES DE GALLICA LINGVA,

EXTRANEIS EAM DIſcentibus neceſſariæ, quædam verò ipſis etiam Gallis multum profuturæ.

QVO Gallicus ſermo aliis pleriſque eſt volubilior, ſimúlque volubiliores Galli, magna ex parte, quàm cæteræ gentes habent linguas: eo diligentius admonendi ſunt extranei qui diſcendi ſermonis huius deſiderio tenentur, vt attentam pronuntiationi aurem præbeant. Sed initio eos quærant qui lentè, non qui celeriter pronuntiant: (quod alioqui ad diſcendum alîus etiam cuiuſlibet nationis ſermonem multum prodeſt) aut certè obtineant ab iis ipſis quibus illam linguæ volubilitatem natura dedit, vt ea, tantiſper dum ipſi eorum ſunt auditores, non vtantur. Sic enim continget vt maiorem vna hebdomade

progreſſum faciant quàm totis duobus eſſent menſibus facturi.

Minimè autem is quem pronuntiationis habere magiſtrum volent, aliquis ſit è fæce plebis, ſed qui ſaltē aut non omnino ſit illiteratus, aut certè cũ iis qui nõ illiteratè ideóq; ſatis purè loquũtur verſatus. Ipſa enim plebis fæx, ac (penè dixerim) tota plebs, nõ eas ſolùm ſupprimit literas quas & cæteri, verùm alias etiam quæ ſunt valde neceſſariæ, vt R & L in fine vocabulorum: ſicut exemplis, quũ ad eas ventum fuerit, oſtendam. Sed nec eos viciſſim ſibi in pronuntiatione ſequendos proponat qui cum quadam affectatione pronuntiantes, (quales ſunt quos vulgò *pindarizer*, id eſt, pindarizare, dicere ſolemus, qui tinnula quadam voce vtuntur) literas quæ aut omnino aut magna ſaltem ex parte ſupprimi deberent, exprimunt. Siquidem hac re, in noſtro præſertim ſermone, nihil eſt putidius. Literas enim is (ſi quiſquam alius) multo plures quàm quæ pronuntiandæ ſint, vult ſcribi: non inutiles tamen, ſed originis vocabulorum indices, aliquando verò ad tollendam ambiguitatem adiutrices.

Interim verò hæ meæ Hypomneſes cum varia ad ſermonis Gallici cognitionem pertinentia eos docebunt, tum verò ad illam quam dixi alicuius bene pronuntiantis auditionē præparabunt. Quinetiam hunc ipſum fortaſſe, de quibuſdam admonitum, diligẽtiorem cautiorémq; ad tradendam ipſis pronuntiationem reddent.

PRIMI

PRIMI elementi A pronuntiato talis in Gallicis est vocabulis qualis in Latinis, vt quidem proferre ea solemus. Non enim aliter sonat *a* in *Labeur*, quàm in Labor: in *Maieur*, quàm in Maior: in *Ardeur*, quàm in Ardor: denique in *Ame* & in *Lame*, quàm in Anima & Lamina.

Ac nullam certè literam esse puto cuius pronuntiationem non solùm cum Latinis sed cum Græcis etiam magis communem habeamus. Hoc saltem constat, hanc in nostra quoque pronuntiatione illum πλατειασμὸν habere, qui Doricæ dialecto, literam hanc amanti, obiiciebatur. Idem verò nunc obiici cuidam è nostris dialectis potest: ei nimirum quæ in Galliæ nostræ finibus, sermone quem Romantium vocant, vtitur. Dicit enim illa, *La cla:* sicut Dores κλᾶξ dicebant, (quum cæteri Græci κλεὶς) & Latini Clauis: quum tamen Gallicæ linguæ puritas non aliud admittat quàm *La clef*. In aliis verò multis vocabulis ad vitandum illum qui aures offendebat πλατειασμὸν hanc literam *a* in *ai* maiores nostri mutarunt. Quum enim Sabaudi atque alij qui Romantio sermone vti se aiunt, Latina vocabula, Clarus, Manus, Fames, Panis, Facere, per syncopen truncantes, dicant, atque adeo scribant (quoties à sui sermonis idiomate discedere nolunt) *Clar*, *Man*, *Fam*, *Pan*, *Fare:* placuit maioribus nostris non solùm syncope vti, sed etiam literam *i*, vt mollior sonus esset, interiicere: ideóque in locum illarum vocum Latinarum substituerunt *Clair*, *Main*, *Faim*,

Pain, *Faire*. (sic tamen vt, quod attinet ad primum illud nomen, non tantùm *Clairté* ex eo deriuatum, sit in vsu, sed etiam *Clarté*, tanquam ex *Clar*, nõ *Clair*. Idẽ porro in aliis quãplurimis vocabulis factũ ab vtrisque fuit. Sed nos nonnulla quæ illi per *a* efferunt, sũntque itidem à Latinis eam habentibus, tamen per *e* non *ai* scribere solemus. Nam, quum illi *Pare* & *Mare* dicant, nos scribimus *Pere* & *Mere*, atque adeo ore minus aperto pronũtiamus quàm si *Paire* & *Maire* scriberetur. Quæ tamen & ipsa scribuntur, sed in aliis significationibus. Hæc autẽ admonitio, lector, præterquã quòd te non omnino nouum illius Romantij sermonis auditorem esse sinet, si quando in eum incidas, magis etiam perspicacem circa deriuationes reddet. Nam (exẽpli gratia) qui audit *Deman*, celerius animaduertit à De mane deriuatum esse, quàm is à quo non aliud quàm *Demain* auditur.

Quamuis autem ex his qualisnam in Gallico sermone sit sonus huius elementi A, possis cognoscere: haud pauca tamen vocabula quæ illud habent, non rectè pronuntiabis, nisi de hoc quoque præmonearis, in quibusdam vocabulis longum, in aliis, & quidem multo pluribus, breue esse. Sicut enim ampliorem quendam quàm alia vocalis habet sonum, ita error in quantitate syllabica hîc à pronuntiante commissus, facilius quàm alibi deprehendetur.

Vt igitur exemplis ostendam, huic vocali A magis quàm alij vsuuenire vt longiorem in cer-

tis

tis quibuſdam vocabulis ſonum habeat: iubebo te diligenter attendere ad pronuntiationem vocabuli *Grace*, quod ex Latino Gratia ortum habet. nam qui rectè proferet, aliquantulum aut ſaltem aliquantululum τῇ ἐκφωνήσει huius literæ immorabitur: id verò nequaquã faciet quũ profert *Race*, *Trace*, aut etiam *Face*, *Place*, *Glace*. Idémq; de voce *age* ætatem ſignificante (cuius vocis alia etiam ſcriptura, videlicet *aage*, inuenitur: à quibuſdam verò *eage* & ſcribitur & pronuntiatur) quod de illa *Grace*, dicẽdum eſt, quod ad literæ *a* productionem attinet: at verò de vocabulo *Rage*, necnon de *Page*, idem quod de illis, *Race*, *Trace*, &c. quantum attinet ad eiuſdem literæ correptionem. Loquor autem tam de illo *Page* quod Paginã ſignificat, quàm de eo quod puerum ſiue ephebum principis viri aſſeclam declarat. In qua tamẽ ſignificatione (vt hoc obiter doceam) ſcribi etiam poteſt *Paie*. (ita quidẽ vt *i* ſit conſonans) eſſe enim à Græco παῖς manifeſtum eſt.

SICVT autem elementum *a* natura longum eſt in *Grace* & *Age*, & in aliis quibuſdam vocabulis (diſyllabis præſertim) ita longum per poſitionem eſſe conſtat in multis, in quibus duplici conſonante excipitur: & quidem plerunque duplici *ſ*, veluti in *Graſſe*, *Laſſe*, *Baſſe*. *Claſſe*, *Braſſe*, *Paſſe*, &c. Sic verò in nominibus *Paſte*, *Haſte*, &c. & in verbis, *Gaſte*, *Taſte*, &c. Denique in *Maſle* & *Paſle* (aut *Palle*) atque aliis huiuſmodi eadem quæ in illis productio huius elẽ-

menti auditur.

Dixi porro, in multis, non, in omnibus : quia hoc elementum *a* minimè longum eſt quoties duæ conſonantes ipſum ſequuntur: præſertim ſi non ſint duo *ſſ*. Exempli gratia, minimè producitur in *Vache*, *Tache* (quod maculam ſiue labem declarat) *Hache:* at in *Sache*, *Cache*, *Crache*, potius longum eſt quàm breue : ac potiſſimum in *Sache*.

At verò vbi ipſum *a* tres conſonantes ſequuntur, minimè de eius productione dubitandum eſt: vt in *Maſche*, *Laſche*, *Faſche*, *Taſche*.

Quinetiam (quod diligenter animaduertendum eſt) nõnulla quæ malè pronuntiata, eadem viderentur, bene pronuntiata, (id eſt, ita vt vel productio vel correptio oſtẽdatur) valde ſignificatione differunt. Ac certè pleraque horum, quum rectè & ſuperioris temporis more ſcribuntur, literam vnam in productione amplius quàm in correptione habent. Nam quum illud *Tache* quod maculam ſiue labem eſſe dixi, habeat *a* breue : contrà in *Tache* quod penſum ſignificat (è Græco λαχος) longum eſt: ſed ita vt in hac ſignificatione ſcribi potius ſoleat *Taſche*, adiuncto *ſ*. Eodémque modo verbum *Taſche*, quod Nitor ſeu Conor declarat : quum dicitur, *Ie taſche de faire cela.* Alia huius rei aptiſſima exempla ſuppeditant voces *Matin* & *Pate*. nam *Matin* & Mane ſignificat, & canem, (ſed vilem, quales ſunt plerunque villatici, non ad aliud quàm ad cuſtodiam domus vtiles) verùm

pro

pro cane ſcribitur potius *Maſtin*, aſſumpta litera *ſ*. Sic etiam *Pate* & de pede quorundam animalium dicitur, ſiue palma pedis (vt, *La pate d'vn lion, d'vn loup, d'vn chien, d'vn chat*) & de maſſa quoque: ſi modò ita vocanda eſt farina ad pinſendum comparata. Sed quum vox iſta hunc vſum habet, litera *ſ* itidem aſcita ſcribi ſolet *Paſte*. Hoc inquam ſcribunt modo, *Paſte, Maſtin, Maſle*, ij qui rectam ſuperioris temporis ſcripturam ſequuntur. Alioqui inuenies etiam ſcriptum apud quoſdam è recentioribus, *Pâte, Mâtin*, accentu circumflexo literæ *a* ſuperpoſito. Atque hi eadem ratione pro illo *Taſche* penſum ſignificante ſcribant oportet *Tâche*. Sic pro *Maſle*, id eſt maſculus, ſcribendum illis fuerit *Mâle*, vt diſcernatur à *Male*, quo Pera ſeu Hippoperá intelligitur: necnon à *Male* quod malam (à malus) ſignificat. Itidem *Hâle* de ardore ſolis, vt diſtinguatur ab *Hale*, de foro rerum vænalium. Eodem denique pacto *Bâle*, non *Baſle*, ſcribere neceſſe habebunt pro Baſilea, vt diſtinguatur à *Bale*, quod ſarcinam declarat.

Quamuis autem in his, aliiſque multis, differentia in ſcriptura conſtituatur (ſiue cum *ſ*, ſiue abſque *ſ*, circunflexi notá literæ *a* ſuperpoſita, ſcribere ea velimus) ſunt tamen & quæ in diuerſa pronuntiatione nequaquam diuerſam ſicut præcedentia ſcripturam habent. vt *Chaſſe*, *a* correpto, venatio (præſertim quum dicitur *Aller à la chaſſe*) eodémque ſcribi modo videmus *Chaſſe* pro ferculo, ſeu pheretro, & quidem eo pro-

priè quo alicuius ſancti reliquiæ ſunt incluſæ.

SED quum hactenus in exemplum productionis vel correptionis literæ *a* diſyllaba tantùm protulerim vocabula, quòd in iis præſertim (vt antea monui) diſcrimen hoc obſeruetur: nũc & triſyllaba quædam proferenda ſunt. Vt igitur in *Grace* producitur *a*, ita in compoſito *Diſgrace*, (quo nonnulli vti cœperunt) atque vt viciſſim corripitur in *Place*, ita etiam in *Deſplace*. Eodémque modo, vt breue eſt in *Glace*, à Latino Glacies, ita in verbis, *Glace*, *Deſglace*, *Reglace*. Itidémque correptio quæ eſt in *Face*, à Latino Facies, ſeruatur in *Chicheface*: necnon in *Efface*, quod eſt Delet, ſeu Obliterat. (nam à nomine *Face* oriundum eſt iſtud verbum: quoniam is qui aliquid in charta, aut tabella, aut tela, vel in alia re delet & expungit, illi ſiue chartæ ſiue tabellæ faciem auferre ſuam videtur) at de verbo *Face*, eiúſque compoſitis, *Desface*, *Reface*, *Perface*, idem dici poſſe non videtur, ſed *a* in his produci.

Ad ea etiam quod attinet quæ deſinunt in *aſſe*, longum potius quàm breuem in illis ſonum habet *a*: quum homœocatalecta, ſed *ace* in fine habentia (apud eos quidem qui emendatè ſcribunt) corripi potius ſoleant. Exemplo eſt quod pro Pica ſcribitur *Agace*, vbi poſterius *a* breuiter pronuntiatur: at in verbo *Agaſſe*, producté. Sic *Beccace* auis, *a* correpto: at *Beccaſſe* verbum, cuius infinitiuus modus eſt *Becquer*, *a* producto: vt ſi quis dicat, *Afin que ie beccaſſe*. Sed quamuis

quamuis ea propemodum omnia quæ in *asse* desinunt, producantur potius quàm corripiantur, in nonnullis tamen magis quàm in aliis sentiunt aures productionem. Ex his est *Entasse*, ex nomine *Tas*, quo Cumulus seu Aceruus significatur, originem habens. In horum numero sunt etiam quædam composita, quorum ipsum quoque simplex producitur. Longum enim est in verbo *Brasse*, non minus quàm in *Embrasse:* itidémque in *Passe*, non minus quàm in *Repasse*, *Trespasse*. Tum verò potissimum producitur *a* in *asse*, quum hæ syllabæ optatiuum vel subiunctiuum claudunt: veluti quum dicitur *Aimasse*, *Portasse*, *Louasse*, *Changeasse*.

Verùm vt ad nomina in *age* desinentia reuertar, ea quæ trisyllaba sunt, plurima saltem eorum, cuiusmodi sunt, *Visage*, *Courage*, *Langage*, *Village:* & quædam etiam quadrisyllaba, ex quibus sunt, *Personnage*, *Mariage*, *Heritage*, *Equippage*, *Marescage*, *Auantage:* quinetiam nonnulla quinque syllabarum, vt *Desauantage*, *Apprentissage*, *Pelerinage*, *Orphelinage*, *Maquerelage*, ista inquam & huiusmodi nomina eandem fere omnia literæ *a* pronuntiationem habent: talem videlicet vt litera *a* in penultima syllaba produci potius quàm corripi dicenda sit: sed tamen ita vt aures hanc productionem vix sentiant.

Idémque (secundum nonnullos) dici de aduerbiis multis potest desinentibus in *alement*, siue *ablement*. vt *Egalement*, *Totalement*, *Brutalement*, & *Honorablement*, *Passablement*, *Veritable-*

ment, Raiſonnablement. In his enim aduerbiis talis eſt literæ *a* productio in antepenultìma, qualem eſſe eius productionem dixi in nominum illorum penultima: talem nimirum vt aures eam vix ſentiant.

Dixi autem, ſecundum nonnullos, quoniam ſunt qui æqualiter hæc aduerbia pronuntiari malint: quinetiam illa nomina quorum paulo antè facta à me fuit mentio. neque certè errare dici poterit qui ita pronuntiabit. Sed quibus hæc æqualitas non placet, in *a* quod præcedit ſyllabam *le* ſeu *ble*, potius quàm alibi, productionem fieri fateantur neceſſe eſt.

HOC vnum de iſta prima litera addam, tibi in huius pronuntiatione neque plebi, (vel potius fæci plebis) neque aulicis fidendum eſſe. Plebs enim (præſertim Pariſina) hanc literam pro *e* in multis vocibus pronuntiat, dicens *Piarre*, pro *Pierre* (ſiue pro Petro, quod eſt proprium nomen, ſiue pro petra ſignificante lapidem) quinetiam *Guarre* pro *Guerre*, aliáque multa eodem modo effert: at verò aulici ne perſuadere quidem ſibi poſſunt rectè dici *Catarrhe*, ideóq; *Caterrhe* pronuntiant. Præſertim verò aulicæ mulieres, & quæ earum ſunt aſſeclæ aliæque extra aulam multæ, quæ aliquid confragoſum habentem ſermonem ſuæ nobilitati cõuenire non exiſtimant, quum literæ *a πλατειασμὸν* valde oderint, multis in locis illam in *e* mutant: adeo vt aliquando earum quibuſdam perſuadere non potuerim, dicendum eſſe, ſequendo Græcam

Græcam originem, *Catarrhe* & *Cataplaſme*, non autem *Caterrhe* & *Catapleſme*.

E

HVIVS elementi magnus eſt apud Gallos vſus pro *a*, in vocabulis ex Latino ſermone ſumptis. Sed in dialecto illa quæ Romantio ſermone vtitur, retinetur *a* plerunque : (ſicut antea illam hoc retinere oſtendi multis in vocabulis vbi nos in *ai* mutamus) nam quum nos ex Claritas fecerimus *Clairté*, ſiue *Clarté*, illi *Clarta* dicunt: ſic *Bonta*, *Charita*, *Santa*, *Neceſſita*, quum nos dicamus, *Bonté*, *Charité*, *Santé*, *Neceſſité*. Sic etiam quum nos dicamus *Mer* pro mari, & *Amer* pro amaro, illa dialectus *Mar* & *Amar* dicit.

Varias autem huius elementi pronuntiationes Gallica habet lingua: ſed præcipuæ & velut contrariæ ſoni differentiæ ſunt duæ, quæ faciũt vt vnum E dicatur eſſe maſculinum, alterum verò fœmininum appelletur.

E maſculinum eſt quod clarè & pleniore ſono pronuntiatur : veluti quum dicimus, *Bonte*, *Grauite*, vel *Accorde*, *Larde*. Atque hoc E nobis cum Græcis pariter & Latinis commune dicere poſſumus : vt quidem paſſim iſtud elementum in linguis illis proferri audimus. Nam (exempli gratia) quum dicimus *Bonte*, *Grauite*, & *Accorde*, *Larde*, eundem huic E ſonum damus, quem Græco ε in ſyllabis τε & δε : (ſiue ſeorſum ponantur, vt quum ſunt particulæ indeclinabiles : ſiue alicuius vocabuli partem efficiant : vt in τέλος & βοᾶτε, in δέος & ἄεισδε) quem item tribuere conſueuimus Latino E in ſyllabis TE & DE: illi qui-

dem TE, siue seorsum posito, vt quum est pronomen: siue in principio, aut medio, aut fine vocabuli. (vt in Tenuis, in Subtepidus, in Capite.) huic verò DE, & quum præpositio est, & quum dicimus Deus, vel Ademi, vel Trade.

QVAMVIS autem quum E appellatum fuit masculinum, quum item fœmininum, qui hæc ei nomina imposuit, ad finale respexerit, (quoniam ab hoc vel illo fine rhythmum esse fœmininum vel masculinū dicimus, *ryme feminine ou masculine*) tamen in principio etiam aut in medio vocabuli tale E inuenitur. In principio quidem (ad masculinum quod attinet) vt in *Merite, Memoire, Ferir*: item in *Debile, Declarer, Decliner*. (hæc enim pronuntiationem sequuntur Latinarum vocum vnde sunt oriunda, Meritum, Memoria, Ferire, &c. quamuis non in omnibus, quæ suam è Latino sermone habent originem, retineatur itidem masculinus hic literæ E sonus: vt ostenda[illegible]um de fœmininо, quod illi velut oppositum [illegible]agam) In medio autem vocabuli vt in *Malefice, Appetit*, & Latinis Maleficium, Appetitus. Quinetiam in duobus simul locis, vt in *Benefice, Deferer, Deceder, Appelé, Maleficié, Felicité, Verité, Euité*: ex Latinis Beneficium, Deferre, Decedere, Appetitus, (quum est participium) Maleficio affectus: (q.d. Maleficiatus) Felicitas Veritas, Euitatus. Obtinuit tamen vsus vt illi E masculino quod vocē claudit (vulgo finale dicitur) potius quàm ei quod in alia sede est, accentus acutus, id est notula accentui

tui acuto similis, superponatur. Vnde fit vt *Verité, Felicité*, scribatur: sicut & illa superiora, *Bonté, Grauité, Accordé*, &c.

In aduerbiis quoque multis Latinum literæ E sonum retinemus. In his enim, *Confusement, Expressement, Inconsiderement, Inopinement, Priuement, Separement*, non aliter pronuntiamus *e* quàm in Confusè, Expressè, Inconsideratè, Inopinatè, Priuatè, Separaté. Sed quidam vt ostendant ita debere efferri, duplicant hanc vocalem *e*, scribentes *Confuseement, Expresseement, Inconsidereement, Inopineement, Communeement*, &c. Sic *Aiseement, Asseureement*, atque alia non pauca. Nonnulli verò vocalem hanc minimè geminant, sed ei accentum acutum superponunt. Alioqui sunt etiam aduerbia multa eandem terminationem habentia, quæ *e* fœmininum habent, non masculinum: vt *Saincteme͂t, Iuste mẽt, Chaste ment, Hõneste ment*. Quædam verò duobus pronũtiantur modis. nã illud *Confuse ment* ita pleriq; pronuntiant vt dixi: (nec dubiũ est quin hæc magis sit recepta pronuntiatio) sunt tamen & qui *e* in tertia syllaba tanquam fœmininum efferant. Sed in nonnullis non sine periculo ita sonari posset *e*: quoniam aliud significare vocabulum videretur, quàm quod eo declarare vellemus. Exempli gratia, si pro Separatè seu Separatim pronunties *Separement*, vt *e* sit fœmininum in tertia syllaba, videberis potius Separationem intelligere. Idem enim esset *Separement*, cum *e* fœminino in tertia, quod

Separation. Qua de re plura in E fœminino.

Sed alium quoque ſonum Latini E habet noſtrum E maſculinum. Nam quum dicimus *Acces*, *Deces*, *Exces*, *Proces*, non ita pronuntiamus *e* vt pronuntiaremus in *Aſſez*, ſed vt proferimus in Acceſſus, Deceſſus, Exceſſus, Proceſſus: (adeo vt perinde ſit acſi Latina ſyncopen paſſa efferre vellemus.) at verò in *Aſſez*, ita propemodum pronuntiamus *e* vt in Acetum. Sic etiam quum dicimus *Bel* aut *Belle*, eodem proferimus modo hanc primam ſyllabam quo quũ proferimus Latinum vocabulum Bellus. (ſcimus autem alium ſonum edere E in hoc vocabulo quàm in nomine proprio Belus) Item quũ proferimus *Ver*, & *Fer*, & *Fertile*, & *Ter*, in nomine *Terre*, non alium ei ſonum damus quàm quum primas ſyllabas harum vocum Vermis & Ferrum, (è quibus per ſyncopen ſunt factæ) & quum Fertilis ac Terra efferimus.

Minimè autem tam cũpreſſo ore pronuntiamus *Fer* & *Ver* (pro ferro & verme) quàm quum ſyllabæ ſunt claudentes verba *Chauffer* & *Lauer*: id eſt Calefacere & Lauare. Sic etiam illam ſyllabam *ter* à qua incipit nomen *Terre*, & nomen *Terme*, non ita pronuntiamus in fine verbi *Euiter*, id eſt Euitare. Ac de horum quidem aliarúmque multarum vocum pronuntiatione, inter omnes qui bene pronuntiare exiſtimantur, conuenit: ſed quædam ſunt de quibus non item, quum exempli gratia in *Mer*, quod mare ſignificat, & in *Amer* nonnulli ita pronuntient *e* vt

in

in *Aimer:* alij verò vt in *Fer,* & *Ver.* Quod tamen potius de *Amer* quàm de *Mer* dici potest. sunt enim qui non ita efferunt *e* in *Mer* (quod est mare) vt in *Aimer:* quamuis in *Amer* id faciant.

Cæterùm vt ad illa redeam, *Ver, Fer,* &c. quoniam non tam compresso (vt dixi) ore pronuntiantur, quibusdam hoc *e* vocare apertum placet: cuius qualis sit sonus, statim intelligent qui Latina illa, Ferrum & Vermis, & reliqua, eodem quo nos modo proferunt. (Quam tamen pronuntiationem nonnulli vitiosam esse censent, vnicum sonum literæ E in Latina lingua tribuentes: qualis est in fine verborum, Amare, Docere, Legere) Alioqui eos quandam per *a e* scripturam (quamuis nostra lingua potius *a i* quàm *a e* scribat) imaginari oportet: de qua & in proximè sequente tmemate aliquid dicam.

Sic autem & in iis quæ habent literas *st* post *e* vsuuenit vt magis aperto quædam ore quàm cætera pronuntientur: sed tamen ita vt E apertum non itidem vt in superioribus exemplis, Latinã pronuntiationem (eam quidem certè quam vsurpamus) omnino imitetur. Hæc enim, *Teſte, Feſte, Beſte, Queſte, Requeſte, Preſte,* aliáque non pauca, diducto magis ore efferuntur, ideóque sono paulo minus ad Latinam pronuntiationem accedente, magis quidem certè producto, quàm quum sonamus *Proteſte, Peſte, Moleſte.* At verò in nonnullis quæ post *e* habent *ſſ*, vt in *Profeſſe, Ceſſe, Preſſe, Oppreſſe, Expreſſe,* Latinarum vocum sequi sonum solemus, Professa, Cessat,

Preſſat, Oppreſſat (nam vt in illo ſimplici, ita & in hoc compoſito frequentatiui verbi formam noſtra ſibi lingua propoſuit) Expreſſus, vel Expreſſa. Cæterùm non malè fortaſſis hîc quoque illam per *a e* vel *a i* ſcripturam cuius modò (quũ de E aperto loquerer) mentionem feci, imaginaberis: præſertim quum ea quæ ita ſcribuntur, in rhythmis noſtris opponamus illis, tanquam correſpondentem ſonum habentia. nam illis *Profeſſe, Ceſſe*, &c. opponimus hæc per *ai* ſcripta, *Laiſſe, Abbaiſſe, Affaiſſe*.

Sedenim in his quoque vocibus, *Eſtre, Feneſtre, Preſtre*, aliquis *e* quod eſt ante *ſt*, apertum non immeritò fortaſſe vocauerit, & quendam ipſum quoque repræſentare literarum *a e* vel *ai* ſonum dixerit: ſed ita vt mixtum & confuſum ex duabus literis ſonum (vt fit in diphthongo) non autem duplicem intelligamus: quod etiam de præcedentibus locis ſentiendum eſt.

Alio etiam modo E maſculinum imitatur ſonum ipſius A in quibuſdam vocabulis: id eſt, ita vt admixtus illi A non ſit literæ E vel I ſonus, ſicut de præcedentibus dictum eſt: & potius inter A & E anceps eſſe, quàm ex vtroque commixtus, dicendus ſit: ſic tamen vt magis etiam ad ſonum literæ A accedat. Atque hunc ſonum potius quàm quenquam alium, iure (vt opinor) Gallicum vocabimus. Sed in iis potiſſimum locis audiri ſciendum eſt vbi conſonanti *m* vel *n* illa vocalis præfixa eſt. vt in *Femme*, in *Tems* (pro quo ſcribitur etiam *Temps*, quòd ſit à Latino

tino Tempus) in *Dent, Vent, Content.* Atque adeo hanc ad classem pertinent omnia fere in *ent* tam nomina quàm aduerbia. nomina quidem, vt *Prudent, Patient, Apparent:* aduerbia autem; vt quæ ex his ipsis sunt facta, *Prudemment, Patiemment, Apparemment.* Sic *Sagement, Honeſtement, Ingenieuſement:* quæ tamen sunt à nominibus quæ non, vt superiora illa, in *ent* desinunt: sed à *Sage, Honeſte, Ingenieux.* Ex illis quidem certè nominibus quæ à Latinis in *entum* exeuntibus profecta sunt, nullum excipiendum est: vt *Argument, Ornement, Augment*: à Latinis Argumentum, Ornamentum, Augmentum. Sic autem alia quoque, quibus respondentia nomina Latina illam in *entum* terminationem non habent: cuiusmodi sunt, *Teſtament, Iugement, Accouſtrement.* Enimuero & nomina substantiua fœminini generis: vt *Prudence, Patience, Clemence, Apparence*, talem literæ *e* sonum in penultima habent.

Quum autem dixerim vocalem *a* in his aliisque huiusmodi locis neque planè vt *a*, neque omnino vt *e* proferri, sed medium quendam inter hos sonum habere: necesse non fuerit te admonere, ne vulgus aliósq; multos sequaris, qui suam pronuntiationem nequaquam eo modo temperant, sed quamuis scribatur *Tems* (aut *Temps*) *Dent, Prudent, Clement, Preſent, Patient, Apparent:* non aliter pronũtiant quàm si *Tams, Dant, Prudant*; eodémque cætera modo scripta essent. Idémque faciunt in *Prudence, Clemence*;

Preſence, Patience, Apparence. proferunt enim *Prudance, Clemance*, &c. Quinetiam in duobus interdum eiuſdem vocabuli locis hac in re peccant: veluti quum *Santance* pronuntiant.

Neque verò te mouere debet quorundam rhythmos ſcribentium licentia: qui illum vulgaris pronuntiationis errorem in ſuum commodum vertentes, ſiue, illo errore ſuum ad commodum abutentes, verſum vnum claudunt voce *Tems*, alterum vocabulo *ans*, aut *Conſtans*, vel *Eſtans*, (aut alio quod per *a* ſcribi neceſſe eſt) tanquam hæc ſint homœocatalocta: id eſt, ſimiliter deſinentia. Quidam verò ſcripturam etiam mutare in huiuſmodi locis audent, non *Tems*, ſed *Tams* ſcribentes, eodémque modo cætera.

Quomodo igitur *a* pronuntiatur in illis, *Conſtans*, *Arrogans*, *Conſtance*, *Arrogance*, & ſimilibus quæ in Latino ſermone (vnde ſumpta ſunt) eandem vocalem habẽt? ita certè vt apertum & magnum πλατειασμὸν efficiat.

Quinetiam in principio quarundam vocum hunc ſonum accipit litera *e*: vt quum dicis *Entamer*, (quod eſt à Græco ἐνταμεῖν) *Endurer*: item *Entretenir*, *Entreprendre*: itidémque in pleriſque à ſyllaba *en* initium habentibus: ſed & aliis quorum aliud eſt principium. Sunt alioqui & nonnulla in quibus *e* illum medium ſonum reſpuit: præſertímque vbi ambiguitas oriri poſſet: vt in *Embler*. ſiquidem *Embler* eſt Furari: at verò *Ambler*, de equi gradarij ſeu tolutarij (vt alij vocant) inceſſu dicitur. Sic in *Sarment* non minus

quàm

quàm in Latino Sarmentum, ſonum ſuum retinet: at in *Serment*, quod eſt iuſiurandum, alterum illum accipit. Sic tamen vt iocantes confundamus, quum rationem reddimus cur in vino minimè ſit mentiendum. Reſpondemus enim, *Pource qu'il eſt de ſerment:* nō apertè pronuntiantes *Sarment*, ſed ambiguum inter *a* & *e* ſonum edentes: ſic tamen vt auditor illud vocabulum proferri potius exiſtimet quod iuſiurandum ſignificat.

I A M verò & alius eſt *e* maſculini ſonus in nominibus quæ in *ien* deſinunt: vt in *Chien, Mien, Tien, Sien, Vien.* hîc enim *e* ita cum præcedente *i* coaleſcit, vt eius ſonum propemodum accipiat: non ſecius quàm ſi *Chiin* & *Miin* ſcriptum eſſet: eodémque modo cætera. Sed hoc in iis potius locum habet quæ monoſyllaba ſunt, aut ſaltem tanquam monoſyllaba efferuntur: ſicut illa quæ proximè præcedunt. Nam de *Lien, Fien, Moyen, Ancien, Pratticien,* idem quod de illis dici nullo modo poteſt.

At verò E FOEMININVM obtuſo minúſque claro atque adeo imperfecto quodam ſono, quaſi faucibus inhærente, effertur: quum alterum, quod Maſculinum vocari dixi, ad dentes vſque progrediatur. Vtriuſque autem exemplum nobis interdum vna eadémque vox ſuppeditare poteſt. vt *Ambages, Satellites, Calices, Matrices.* nam Galli hæc nomina ſunt à Latinis mutuati, abſque vlla mutatione, præterquam pronuntiationis literæ E: quum ipſi quidem E

tanquam masculinum, at Galli tanquam fœminum proferant. Nam quum dicis Latinè, Loquitur per ambages, Habet satellites, Habet calices, Habet matrices, pronũtias E masculinum: at quum Gallicè dicis, *Il parle par ambages, Il a des satellites, Il a des calices, Il a des matrices*, pronuntias E fœmininum. Sed quod ad primum illud nomen *Ambages*, attinet, in illo pronuntiatum etiam fuisse E tanquam masculinum, ex eo apparet, quòd vulgus, aut saltem aliqua eius pars, tandem *Ambageois* dixerit, *Il parle par ambageois*. neque enim dubium est quin ex *ges* habente *e* masculinum, fecerit paulatim hoc *geois*.

Alioqui idem quod in illis nominibus, in aliis etiam exemplum habemus, in quibus aliqua mutatio, saluis tamen vltimis literis, interuenit: vt quum dicimus *Nourrices* pro Nutrices. Item in quibus aliud mutationis genus cernitur, per syncopen videlicet: in *Princes*, ex Principes: in *Forces*, ex Forcipes.

VERÙM vna etiam eadémque lingua (nostra nimirum) sæpe vtrunque sonum in vno eodémque vocabulo exhibet. auditur enim illud *e* masculinum, quum dicis, *Il a marqué*, id est, Notauit: vel, *Il est marqué*, id est, Notatus est, aut Notatum est. Sic, *Il a tempesté*, Tempestatem vel tumultum excitauit, aut Tempestate agitauit. aut, *Il est tempesté*, (vt, *Ce lac est tempesté*) Tempestate agitatur. vel, *Il a esté tempesté*, Tempestate agitatus fuit. At verò nostrum *e* fœmininum auditur, quum *Marque* & *Tempeste* significant Notam

Notam & Tempestatem. Itidémque quum verba sunt. Nam *Marque* (quum dicitur, *Il marque*) est Notat: interdum verò, *Marque*, est imperatiui modi, idem quod Notato. Idémque de *Tempeste* intelligendum est. Exemplo esse possunt & hæc, *Porte*, & *Porté*: quum *Porté* sit Portatus, at *Porte*, sit Porta, seu Portato. & *Il porte*, Portat. Sed porta quoque, illa voce nostra *Porte* significatur. In omnibus autem verbis quorum infinitiuus est in E R, idem quod in præcedentibus vsuuenit, vt indicatiuus & imperatiuus habeant E fœmininum, at verò participium E masculinum. Ita enim dicitur, *Il aime*, Amat: *Aime*, Ama: at *Aimé* pro Amatus. Sic *Il seme*, Seminat: *Seme*, Seminato. at *Semé*, Seminatus.



Idem discrimen cernitur & in quibusdam vocibus, quarum vna est nomen, altera participij formam habet potius quàm est participium. vt in *Pestifere*, & *Pestiferé*. nam *Pestifere* est Pestifer, at *Pestiferé*, Peste correptus, seu Peste infectus. quod participij speciem præ se ferre, potius quàm participium esse, ideo aio, quia verbum non extat à quo deductum dici queat.

Iam verò & in vocibus quarum vtraque est nomen, hæc scripturæ & pronuntiationis pariter differentia spectatur: vt in *Paste* & *Pasté*: quarum posterior declarat id opus pistorium quod quidam Artocreas vocarunt: (vulgus autem malè Pastillum appellare solet) at illa prior *Paste*, est Massa, seu Farina aqua subacta ad conficiendum panem.

SICVT autem dixi de E masculino, quamuis quum hoc ei nomen fuit impositum, eius quod est in fine vocabulorum, habita ratio fuerit, (quoniam ob talem finem rhythmum nostrum esse masculinum dicimus) tamen in principio etiam aut in medio vocabuli tale E inueniri: ita certè & de E fœminino dicendum est. Nam fœmininum est in principio horum verborum, *Venir, Tenir, Mener, Vener*, eodémq; modo per totam coniugationem, *Venons, Venez, Venois, Venions*, &c. quod & de reliquis intelligendum est. Sic *Ferois, Feray, Ferons, Ferions*, &c. Sic in principio harum vocum, quæ non verba sunt, sed nomina: *Geline*, (id est Gallina) *Genice*, vel *Ienice*, (id est Iunix, Bucula) *Geneſt*, (id est Genista) *Geneure*, (id est Iuniperus) *Felon*, (id est Ferox) *Velours*, id est Sericus pannus. De illis quidem certè nominibus quæ sunt à verbis habentibus *e* fœmininum, minimè dubitandum est quin tale in illis etiam sit. Exempli gratia, dubium esse non debet quin *e* in *Veneur* (id est Venator) sit fœmininū, quum tale sit in *Vener*, id est Venari. Sed ex verbis compositis quæ è Latino sermone oriunda sunt, quædam in præpositione, *e* masculinum seruant, quædam in fœmininum mutant. Nam vt ex Decedere, Declarare, Declinare, Deferre, Dedicare, Deducere, Defendere, Deferre, Referre, Redintegrare, dicitur cum *e* masculino, *Deceder, Declarer, Decliner, Dedier, Deduire, Defendre, Deferer, Referer, Reintegrer*: ita etiam dici solet, mutãdo masculinum

Latinæ

Latinæ vocis ſonum in fœmininum, *Deuenir*, ex Deuenire: *Demourer*, ex Demorari: *Retenir*, ex Retinere: *Releuer*, ex Releuare: *Refaire*, ex Reficere: *Redire*, tanquam ex Redicere: *Receuoir*, ex Recipere. Ac certè quod ad compoſita ex RE attinet, multo plura in Gallico ſermone *e* fœmininum quàm maſculinum habent, vt viciſſim multò plura compoſita ex DE habent maſculinum quàm fœmininum. Quædam verò vtroque pronuntiantur modo: vt *Deceuoir*, ex Decipere: *Refrener* & *Relaſcher*, ex Refrenare & Relaxare: *Detenir*, ex Detinere. ſic tamen vt magis vſitatus ſit ſonus maſculinus. Sed & in *Deſirer*, ex Deſiderare, duobus modis pronuntiatur: rectius tamen cum *e* fœminino. At verò in *Deuoir*, ex Debere, non alius quàm fœmininus audiri debet ſonus.

Exemipla autem *e* fœminini in medio vocabuli, habemus in multis aduerbiis: vt in *Sagement*, *Iuſtement*, *Doucement*, *Cordialement*, *Principalement*, *Totalement*, *Eſtrangement*. Sic in nominibus, *Iugement*, *Accouſtrement*, *Paſſetemps*. Et in verbis, *Souuenir*, *Contenir*, *Abſtenir*, *Appartenir*, *Fueilleter*, *Plumeter*. vbi etiam obſerua *e* fœmininum excipi *e* maſculino. Idem certè & in aliis videbis: vt in *Entierement*, *Deuilletement*, *Doucettement*. Sed & *e* fœmininum in duabus contiguis ſyllabis inuenitur: vt in *Retenir*, *Reuenir*, *Receuoir*, *Receler*, *Redemander*. Sic *Retenons*, *Reuenons*, *Receuons*, *Recelons*, *Redemandons*: ſic etiam *Referons*: Alicubi verò tres contiguæ ſyllabæ illum literæ *e* ſonũ habent: vt in *Recelerons*.

Ex infinitiuis autem qui sunt è Latino sermone sumpti, alij *e* fœmininum, alij masculinũ habent: Fœmininum, *e* præcedente *r*: vt *Dire*, per syncopen ex Dicere: *Faire*, ex Facere: *Escrire*, ex Scribere: *Lire*, ex Legere: Masculinum *r* contrà præcedente *e*: vt *Aimer*, ex Amare: *Lauer*, ex Lauare: *Admonester*, ex Admonere.

Quinetiam sicut aduerbia multa quæ à Latinis mutuati sumus *e* masculinum habere ostendi, ita etiam non pauca habẽt fœmininum. Nam vt dicimus *Saincteement*, *Iusteement*, *Chasteement*, *Honesteement*, pro Sanctè, Iustè, Castè, Honestè: ita etiam *Aspreement*, pro Asperè, *Molleement*, pro Molliter, *Bonneement*, pro Bene. Sic verò & in nominibus multis hoc fœmininum *e* inuenitur: vt in *Iugement*, *Pensement*, *Accoustrement*, *Habillement*, *Ornement*. Quinetiam nonnulla habemus vocabula, quæ quum nomen sunt, *e* fœmininum est: at quum aduerbia, *e* masculinum. Tale est certè vltimum illud, *Ornement*: tale etiam *Auisement*. Nam *Ornement* est Ornamentum: *Ornement* autem aduerbium, est Ornatè, cum ornatu. Sic *Auisement*, est Cogitatio, siue Consideratio, aut Quod in mentem venit: at verò *Auisement* aduerbium, est Cogitatè, Consideratè, Circumspectè. Verùm scribitur potius *Orneement*, vel *Ornément*, itidémque *Auiseement*, vel *Auisément*, quum sunt aduerbia.

Ad hunc *e* fœmimini titulum pertinent omnes tertiæ personæ pluralis numeri, siue indicatiui, siue alius modi, quæ in *ent* desinunt: quarum

rum quædam habent literas *oy* ante *ent*: vt *Ils aiment, Ils aimoyent, Ils aimerent, Ils aimaſſent, Ils aimeroyent*. Eodémque modo in aliis coniugationibus: vt in coniugatione verbi, *Voir*, & *Faire*, *Dire*. quum dicitur, *Ils voyent, Ils voyoyent, Ils virent*, &c. Sic, *Ils font, Ils faiſoyent, Ils firent*, &c. Itidémque, *Ils diſent, Ils diſoyent, Ils dirent*, &c. Non minus autem ſyllaba *oyent*, quàm altera illa *ent*, pro monoſyllaba in pronuntiatione habetur: éſtque talis pronuntiatio vt literæ *n* exilis tantùm ſonus ad aures perueniat. Sed litera *e* in ſyllaba *oyent* paulo longiore ſono effertur, vt hac longitudine tertia pluralis à tertia ſingulari diſtinguatur: *aimoyent* ab *aimoit*, & *diſoyent* à *diſoit*: atque in cæteris itidem locis.

Neque hoc ignorandum eſt, tam in his aliiſque huiuſmodi vocabulis, quàm in aliis omnibus quæ *e* fœminino clauduntur, contingere in noſtris rhythmis (quos *rymes* appellamus) vt ſi in fine verſus collocentur, is vna ſyllaba longior ſit quàm qui in fine vocem *e* maſculino terminatam habet. Fítque hæc ſyllabæ acceſſio, quam aures vix ſentiunt, ad compenſandum id quod fœminino ſono déeſt, & in quo ipſum maſculinus ſuperat.

ALicubi verò hoc *e* fœmininum adeo breuem ſonum habet, vt etiam omittatur interdũ. Sic enim *Eſperit* & *Eſprit* (atque hoc frequẽtius) vt Latinos non ſolùm Tyberis ſed Tybris quoque dicẽtes audimus. Quinetiam tam *Vrayment* diſyllabè quàm *Vrayement* triſyllabè pronuntiatur.

Alia verò sunt vocabula in quibus quamuis scribatur, nullum sonum edit, sed productionem literæ præcedentis indicat. Talia sunt, *Ambiguement*, à nomine *Ambigu: Estourdiement*, (quod etiã dicitur *A l'estourdie*) ab *Estourdir*. *Remuemẽt*, à verbo *Remuer: Reniement*, à *Renier*. Fortassis autem, Hebræorum exemplo, *e* in talibus locis, ac præsertim in duabus illis primis vocibus quiescentem, literam appellare possumus. Otiosa est certè & apud Græcos poetas in μουσέων, ὡρέων, πασέων, aliisque huiusmodi, quum duas tantùm syllabas efficiat: perinde acsi μουσῶν, ὡρῶν, πασῶν scriptum esset. Ac (quod vt rarius est, ità magis miretur aliquis) βασιλέων etiam inuenitur in Anthologia epigrammatum ita positum vt nulla in eo habenda sit ratio literæ ε.

Neque tamen vbicunque nullum sonum edit, vsum illum habet, sed plerunque ad molliendam vocabuli pronuntiationem adhibetur. vt in *Bourgeois*, in *Dongeon*, *Bourgeon*: item in verbis, vt in *Rengeois*, *Chargeois*, *Iugeois*: & *Rengeons*, *Chargeons*, *Iugeons*: itidemque in participiis, *Rengeant*, *Chargeant*, *Iugeant*. In his, inquam, aliisque huiusmodi locis ponitur ad molliendam pronuntiationem: id est, ad indicandum, non debere pronuntiari *g* cum *o*, vt in Latinis, Mango, Fingo, Ringo: sed perinde acsi adhibita *i* consonante scriptum esset *Bourlois*, *Donlon*, *Bourlon*, eodémque in cæteris modo. At verò in Græcis illis quæ protuli vocabulis, ὡρέων, μουσέων, πασέων, aliisque eiusmodi, ponitur quidem similiter, vt sonus

sonus sit mollior: sed non itidem ad distinguendam pronuntiationem vnam ab altera.

QVÒD si & quantitatem vtrarumque vocum scire cupit lector, id est, tam earum quæ *e* fœminino habent, quàm *e* masculinum habentium: (est enim ad bene pronuntiandum necessaria quantitatis syllabicæ cognitio) primùm meminerit eius discriminis quod inter quædam partim aduerbia partim nomina posuimus. Neque enim dubium illi esse potest quin syllaba in qua est *e* fœmininum (vt syllaba *ste* in *Chastement*, & *Iustement*, syllaba *ge* in *Sagement*) sit breuis: & vicissim illa in qua masculinum sonum edit, sit longa: vt in *Separement*, *Expressement*, *Inconsiderement*, *Inopinement*. nam etiam duplici *e* scribi dixi, *Separeement*, *Expresseement*, eodémq; cætera modo: aut certè, accentu acuto literæ *e* superposito. Quinetiam in vno eodémque vocabulo sicut vterque sonus, ita etiam vtraq; quantitas inuenitur: vt in *Ornement*, *Auisement*, *Separement*, (quorum antea mentionem feci) correptio quidem literæ illius, quum sunt nomina: productio autem, quum aduerbia.

NE hoc quidem silentio præteribo, quod quum obseruatione sit dignissimum, tamen à pauciss imis fuisse puto obseruatum: syllabam quæ *e* fœmininum præcedit, potius extendi (nimirum ad compensandam sequentis breuitatem) vt in *Coste*, *Fosse*, *Paste*, *Marche*, *Porte*, *Pene*, *Escume*: at quæ *e* masculinum antecedit, potius breuẽ esse: vt in *Costé*, *Fossé*, *Pasté*, *Marché*, *Porté*,

vel *Porter, Pener, Eſcumer.* Ac de his quidem aliiſque huiuſmodi nulla omnino eſſe dubitatio poteſt: ſed addam quæ in dubium aliqui fortaſſe vocabunt: nimirum vnam eandémque ſyllabam in eodem verbo, in præſenti quidem tempore (quum enim hîc verbum dico, vnam ex quatuor partibus orationis intelligo) produci: at in præterito, corripi: quòd nimirum hîc quidem præcedat literam *e* habentem ſonum maſculinum, illic verò antecedat literam *e*, cuius ſonus eſt fœmininus. Exempla ſunt, *Ie paſſe, Ie laſſe, Ie caſſe, Ie braſſe, Ie conte, Ie porte, I'oſte:* & *I'ay paſſé, I'ay laſſé, I'ay caſſé, I'ay braſſé, I'ay conté, I'ay porté, I'ay oſté.* Ideo autem hanc poſteriorem obſeruationem aliquos in dubium vocaturos dixi, potius quàm illam priorem, quoniam ſunt etiam qui hoc diſcrimen neque ipſi in pronuntiatione conſtituunt, neque pronuntiationem eorum à quibus conſtituitur (qui certè haud pauci ſunt) obſeruant.

I

LITERAE I pronuntiatio Latina, (niſi alia quæpiam eſt quàm quæ paſſim auditur) Gallica quoque eſt. Ac certè pleraque Latinorum verba (verba quum dico, vnam ex octo orationis partibus intelligo) quæ hac vocali clauduntur, in tertia perſona ſingulari, necnon in modo infinitiuo, partim integra, partim cum parua mutatione, retinemus. Nam pro Gemit, à Gemo, nos quoque *Gemit* dicimus: itidemque *Fremit* & *Rugit*, vt illi Fremit & Rugit, à Fremo & Rugio.

Necnon

Necnon *Polit*, vt illi Polit à Polio: item *Ferit* & *Perit*, sicut ab illis dicitur Ferit, à Ferio: Perit, à Pereo. Sed nobis *Ferit* est potius præteriti, at *Perit* tam præsentis quàm præteriti temporis. In modo autem infinitiuo, vt *Polir*, *Ferir*, *Perir*, pro Polire, Ferire, Perire. Sic *Ordir*, vel *Ourdir*, *Partir*, *Mentir*, pro Ordiri, Partiri, Mentiri. Eodémque modo *Mourir*, non à Mori, sed ab antiquo & analogiam seruante infinitiuo Moriri. Ad verbum autem *Ordir*, seu potius *Ourdir*, quod attinet, sciendum est (vt lectorem hoc obiter doceam) Gallicum huius verbi vsum ad cognitionem primæ & propriæ significationis verbi Latini Ordiri nos ducere, atque ostendere, Ordiri telam non rectè exponi Texere. Verùm vt ad alia exempla pergam, multa etiam per syncopen ex Latinis hanc literam habentibus facta fuerunt: vt *Dit*, ex Dicit: *Lit*, ex Legit: *Escrit*, ex Scribit: *Rit*, ex Ridet. Sed & in plerisque infinitiuis huius syncopes exempla inueniuntur, vt videbis vbi agam de quantitate syllabarum quæ hac litera scriptæ sunt.

Atque vt Latinis litera I sæpe est vocalis, sed nec rarò consonans, ita etiam nobis: & quidem plerunque in illis vocabulis quæ ab illis mutuati sumus. vt in *Ia*, à Iã: in *Juste*, *Ieu*, *Iuger*, *Iurer*, *Ietter*, à Iustus, Iocus, Iudicare, Iurare, Iactare. Sed & intra ipsum vocabulum: vt in nomine *Iniure*, ab Iniuria: in verbo *Conioindre*, à Coniungere.

Verùm alicubi ex illorum etiam vocali consonantem facimus: veluti quum Simia vertimus

in *Singe:* & Vindemia in *Vendenge*. quæ deriuationes paulo essent apertiores si hæc cũ I, quod consonans esset, scriberemus, *Simle*, *Vendemle*.

Quinetiam *v* consonans cum *r* iunctum mutamus in *g*: vt quum pro Abbreuiare dicimus *Abbreger:* & ex Seruiens facimus *Sergent*.

Nonnulla verò sunt in quibus litera G locum huius I consonantis accipit. vt quum Iunicem vocamus *Genice*, vel *Genisse*. Sed non malè altera etiam scriptura per I consonans, vtemur, *Jenite*. Sic certè pro puero magnatis alicuius assecla tam *Page* quàm *Paie* scribi potest. Sed malim *Paie*, aut cum litera maiuscula (vt magis apparens lectorem admoneat) *Pale:* vt *Page* significationi paginæ reseruetur.

Sed enim litera G, in altero quoque sono, huius locum alicubi occupat. quod enim dicimus *Jambe*, multæ dialecti (ex quibus est Picardica) *Gambe* appellant: ita pronuntiantes hanc literam vt in Latino verbo Interrogare pronuntiare solemus. Quamuis autem qui purè loqui existimantur, illud *Gambe* pro *Iambe* minimè vsurpent, non reiiciunt tamen *Gambade* ex illo *Gambe* factum: nec *Gambader*, quod ex isto nomine *Gambade* est deductum. Atque adeo illi voci *Gambe* optimè conuenit ex Græco καμπὴ deriuatio.

Literam hanc I, quum est vocalis, quibusdam vocabulis adhibent nonnulli, alij prætermittunt. Scribitur enim & *Danger* & *Dangier*, nec solùm *Estranger*, sed etiam *Estrangier*. Eadémque

démque prorsus est hæc ἀπλογραφία qualis apud Latinos in Carthaginensis & Carthaginiensis. Sed ad nostrum sermonem quod attinet, non dubito quin vetus scriptura literam i in illis vocabulis aliisque similibus posuerit. Súntque mihi argumento infinitiui multorum verborum modi qui in *er* itidem desinunt: vt *Aider*. nam *Aidier* itidem dicebant,& *Hebergier*. Atque hãc pronuntiationem nonnulli ex Picardis, seu iis quos VValones appellamus, hodiéq; retinent.

Verùm & aliis hanc literam locis insertam fuisse scimus, quum diceretur, *Ie lieue, l'esliene:* quæ à nonnullis hodiéque vsurpantur, sicut & *Ie grieue*. Atque hoc certè facilius defendi quàm illud posset, quum etiam *Grief* dicatur, sicut *Brief:* potius tamen *Greue* dicendum est, absque *i*, sicut *Leue:* potiúsque *Bref* quàm *Brief*. Quum enim aliquod vocabulum duobus modis effertur, illi potius standum est pronuntiationi quæ ipsius vocabuli origini est consentanea. Vsus tamen obtinuit vt *Grief* potius dicatur quàm *Gref:* sed hîc est *ie* pro A Latino: (scimus enim esse à Grauis) illic autem esset pro E. Iam verò & aliorum quorundam verborum ita mollitam fuisse olim pronuntiationem constat, interpositione litteræ *i*. quorum è numero est *Mene*, cum suis compositis. Quamuis autem non omnino ratione carere videri possit hæc pronuntiatio, quòd verbum vnde est oriundum *Mene*, habeat *i*: (est enim Mino) tamen siqui hodie ita pronuntiant, exploduntur. Sic certè & apud

Græcos non dubîto quin olim multis adhibita fuerit vocabulis hæc litera : quam quum postea visum esset prætermittere, placuit saltem notulam quæ illius esset index, ei cui ipsa litera subiungi solebat vocali, subiũgere. Sic certè in ἅδης talem esse notulæ subscriptæ vsum, satis constat ex antiquo ἀΐδης. Sed & pro αι in quibusdam locis videmus α tantùm scribere maluisse nonnullos: vt ἀετὸς quàm αἰετὸς, & κάω quàm καίω. Quinetiam Latinos poetas alicubi elisionem huius literæ sibi permisisse constat: vt docebo in litera V.

Hæc litera in quibusdam aliis vocabulis non omittitur quidem, sed tam breuiter pronuntiatur vt multa disyllaba in quibus hanc sequitur *e*, transeant in monosyllaba. De his autem in diphthongo I E dicendi locus erit.

Qvantitas aûtem syllabarum quæ hanc literam habent, interdum ex scriptura cognosci potest, sed aliquando deriuationem sequitur. Scriptura enim eam indicare potest, quum, exempli gratia, scriptum videmus *Il gemist.* veluti quum dicitur in modo subiunctiuo, *Combien qu'il gemist:* vel, *Afin qu'il gemist.* Id est, Vt gemeret. Ista enim literæ *s* interpositio nobis ostendit alium hîc sonum literam *i* edere, quàm quum dicitur in præsenti tempore *Il gemit*, id est Gemit : nimirum vt hîc breuem, ita illic longum. Sic *Il dist*, (*Afin qu'il dist*) *Il fist*, *Il vist*, vt distinguãtur à præsentibus vel præteritis indicatiui modi *Il dit*, *Il fit*, *Il vit*. Quinetiam, eadem manente scri-

ſcriptura, mutatur tamen quantitas. paulo enim longior eſt ſonus literæ *i* in *Prie*, quum dicis in ſubiunctiuo modo, *Combien que ie prie*, vel *Afin que ie prie*, id eſt, Quamuis precer, vel Vt precer: quàm quum in præſenti dicis, *Ie prie*, id eſt Precor. Idem verò de *Crie*, aliiſque multis, dici poteſt. Quinetiam illud quod in litera *e* annotaui, hanc, quum fœmininum habet ſonum, producere præcedentem, viciſsímque breuiare tum eam quæ antecedit, quum maſculinus eſt eius ſonus: locum habere hîc quoque intelliges, ſi attentus ſis bene pronuntiantium auditor. Siquidem literam *i* corripientes audies in *Prié*, & *Prier*: at in *Prie*, potius producentes: licet minus in *Prie* pro Precor, quàm quum Precer ſignificat.

At verò ex deriuatione innoteſcere nobis poteſt quantitas, quum vocabuli originem conſiderantes, ſyncopen factam eſſe videmus, ſimúlque apocopen: vt in *Dire*, ex Dicere: in *Lire*, ex Legere: in *Frire*, ex Frigere: in *Rire*, ex Ridere: in *Fier*, ex Fidere. Noſtri enim ſermonis naturam poſcere vt aliqua productione hîc vtamur (licet eam multi negligant) ex oppoſitione aliorum vocabulorum, quæ eandem in alia ſignificatione ſcripturam habent, ſatis apparet. Exempli gratia, nemo negare auſit, in verbo *Fier*, facto per ſyncopen pariter & apocopen ex Fidere, & idipſum ſignificante, cum aliqua productione efferri literam *i*: nequaquam verò in nomine *Fier*, facto ex Ferus. Idémque de *Liré*

pro Legere, & de *Lire* (vel *Lyre*) pro Lyra, dicendum est: hîc quidem breue potius, at illic longum esse.

O

O QVOQVE non aliter quàm Latina in lingua pronuntiamus, siue sit in vocabulis ex ea petitis, siue in aliis. Sed in nominibus quæ in *io* vel *mo* desinunt, ita retinemus, vt literam *n* addamus. Nam pro Occasio & Superstitio & Ratio, nos *Occasion* & *Superstition* & *Raison* dicimus: eodémque modo *Sermon* pro Sermo. Sic etiam in nominibus propriis eam literam vocali *o* adiungimus. nam *Simon*, *Ciceron* & *Caton* dicere solemus, non Cicero & Cato. Qua in re Hebræos & Græcos imitamur. Nam Græcos Κικέρων & Κάτων & Σίμων scimus dicere, itidémque Hebræos שִׁמוֹן.

Sed in quibusdam vocibus *o* in *ou* mutamus. Nam pro Nos & Vos, habet nostra lingua *Nous* & *Vous:* pro Totus, vel Totum, *Tout.* Sic pro Dolor, dicit *Douleur:* & pro Color, *Couleur:* & pro Coluber, *Couleuure.* Eadémque in multis aliis mutatione vtimur: sed ita vt de omnibus inter omnes non conueniat. Nam pro Voluntas, non tantùm *Voulonté*, sed etiam *Volonté* dicitur, quamuis *Vouloir* duntaxat in vsu sit. Sic pro Tormentum, & *Tourment* & *Torment.* itidémque *Coulom* & *Colom* pro Columbus. (sed magis receptum est *Coulom* quàm *Colom:* licet *Colombier*, quo significatur Columbarium, non minus in vsu sit quàm *Coulombier.* Denique pro Porcus non tantùm *Pourceau*, sed & *Porceau.*

Quin-

Quinetiam in quibuſdam quæ eandem originem habent, vtrumq; ſonum admittimus. quanuis enim *Douloir* & *Douleur* dicamus, non *Doloir* & *Doleur*, tamen *Doleance* dicere ſolemus.

O quoque finale vertimus in *ou* in quibuſdam nominibus: ex quibus eſt Amor. nam pro eo dicimus *Amour*. Quinetiam pro Labor dicimus *Labour*, ſed intelligentes de agricultura ſeu agricolatione, quam etiam *Labourage* vocamus: quum alioqui *Labeur* pro Labore dicatur: ſicut in Color, in Dolor, in Ardor, aliiſque multis, ſyllabam OR in *eur* mutamus: dicentes *Couleur*, *Douleur*, *Ardeur*.

Ad verba autem quod attinet, in nonnullis quidem *o* in *ou* mutamus, ſicut in nominibus quorum facta fuit mentio. (nam *Mourir* dicimus, ex Mori, ſeu potius Moriri, antiquo: item *Prouuoir*, ex Prouidere: & *Prouuer*, ex Probare.) verùm ſunt etiam quædam in quibus tam in *eu* quàm in *ou* literam illam vertimus. ſiquidem nõ *Demourer* tantùm ſed & *Demeurer* in vſu eſt, ex Demorari. Ac fuiſſe olim dictum etiam *Labeurer*, oſtendit vetus prouerbium, *En peu d'heure Dieu labeure*: quamuis vice verſa *Doulours* potius quàm *Douleurs* tum diceretur: vt ex alio non minus vetuſto prouerbio liquet,

D'oiſeaux, de chiens, d'armes, d'amours,
Pour vn plaiſir mille doulours.

Quinetiam quãuis *Prouuer* dicatur potius quàm *Preuuer*, tamen nomen *Preuue* receptum eſſe videmus, potius quàm *Prouue*.

Huius literæ o sonũ nonnullis dedimus vocabulis quæ AV in Latina lingua habent, vnde sunt petita. Nam pro Aurum dicimus *Or:* pro Auricula, *Oreille.* Pro Paulus autem tam *Paul* quàm *Pol* scribitur. Sed olim *Pol* receptum fuisse coniicio ex his prouerbialibus rhythmis,

Si aussi sage es que sainct Pol,
N'ayant rien, es reputé fol.

Et tamen memini me vetustos libros legere in quibus *Aur*, non *Or*, scriptum esset.

Literam *o* quidam superiori tempore geminarunt ad indicandam productionem, cum in aliis vocabulis, tum verò in *Role.* scribebant enim *Roole*, quòd constet tam longum esse hîc *o*, quàm breue est in *fãle*, ac multis aliis. Sic autem *aage* scriptum fuisse dixi, vt itidem productio ostenderetur: item *ee*, in *Aiseement*, *Expresseemẽt*, *Separeement*. Magis tamẽ in *o* quàm in illis literis duplicatio talis mihi placeret, quoniam Græcum O mega (id est magnum) ex duobus paruis conflatum, imitari dici posset. Sed tamen hîc quoque nonnulli accentu acuto, aut certè notula accentui acuto simili, vti malunt. De illis autem, *Coste* & *Costé*, itidémque *Fosse* & *Fossé*, ac similibus, vbi & longum & breuem sonum habet hæc litera in vno eodémque (si diuersitatem literæ *e* excipias) vocabulo, dixi antea.

V

HVIC vocali V, (in cuius pronuntiatione nullum literæ *o* sonum admiscemus, vt faciunt Germa-

Germani, & quidam alij) idem quod I, vsuenit, vt non vocalis tantùm sed consonantis quoque officio fungatur: & quidem in nonnullis etiam vocabulis è Latino sermone sumptis, vbi tamen est vocalis. Nam pro Tenuis dicimus *Tenve*: nimirum quia sermo noster idem sibi quod Virgilio licere existimauit, dicenti, Georg. lib. 1,

Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.

Et lib. 2,

Velleráque vt foliis depectant tenuia Seres.

Eodémque modo in Tenuis facere *v* consonantem sibi permisit eodem in libro,

Tenuis vbi argilla, & dumosis calculus aruis.

Eandémque in Genua quam in Tenuia & Tenuis licentiam vsurpauit. Scio tamen fuisse qui aliud licentiæ genus hîc imaginati sint, tanquam nimirum poeta alienum pedem in suos versus intrudente: sed legimus itidem apud Lucretium vocem Tenuis in fine versus,

Propterea quia corpus aquæ, naturáq; tenuis.

& apud eundem poëtam (Virgilium inquam) habemus etiam Arietat, & Parietibus, initio versus, & Abietibus: item Abiete alibi in fine, & Ariete. est autem his quoque in locis multo magis rationi consentaneum, fateri eum vocalem I pariter in consonantem vertisse.

Verùm ad literam v quod attinet, hanc vicissim ex consonante vocalem facere sibi permiserunt poetæ, Dissoliiisse dicentes pro Dissolvisse. Adeóque vulgaris hæc siue libertas siue potius

licentia fuit, vt ne Tibullus quidem ea vti dubitarit: legimus enim apud eum,

Sit satis ornatas dissolüisse comas.

Quinetiam in vna eadémque elegia semel atque iterum est vsus. Nam libri primi elegiam septimam ab his versibus inchoat,

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non vlli dissolüenda Deo.

vel (vt alij legunt) non vlla dissolüenda die, Legimúsque in eadem, circa finem,

Bacchus & agricolæ magnō confecta labore
Pectora tristitiæ dissolüenda dedit.

Horatius quoque idem sibi permisit in vocabulo sylüæ, duobus in locis. nimirum hoc in versu odes vicesimætertiæ libri primi,

Aurarum & sylüæ metu.

Et in istō, qui legitur in epode decimatertia,

Nunc mare, nunc sylüæ.

Denique aduersus hanc literam V. magis fortasse quàm aliam (quæ quidem in vocalium numero habeatur) audaces fuerunt poetæ. Nam vt in locis quos attuli διχρονον (quam alij δίφθογγον appellant) habemus, ita vicissim συναίρεσιν in hac ipsa litera, apud eundem Horatium, coalescente nimirum *v* cum *i*, in vnam syllabam: vt ostendam in diphthongo *vi*. Quinetiā Statium hanc elidere ausum fuisse videmus, vbi dixit,

Sperne coli tenuiore lyra.

Nisi fortè elisionem literæ *i* potius quàm v ab eo factam aliquis existimandum putet: quæ certè exemplo minimè careret.

Verùm,

Verùm, vt ad Virgilianum Tenvia reuertar, facere hoc debebit vt nemo noſtrum *Tenve*, miretur: quanuis alioqui fatendum ſit, potius in principio vocabulorū eſſe conſonans, ſicut & apud Latinos qui nobis illa mutuarūt. Nam ita pronuntiamus hanc literam in *Van, Vain, Veau, Vent, Verité, Virginité, Volōté:* ſicut illi in Vānus, Vanus, Vitulus, Ventus, Veritas, Virginitas, Voluntas. Sic in verbis, *Ie vay, tu vas, il va,* & in *Valoir, Vouloir, Voler, Vener,* non aliter proferimus hanc ipſam literam quàm illi in ſuis, Vadere, Valere, Velle, Volare, Venari.

Alicubi verò ex v vocali conſonantem fecimus, præfixa litera *i*. Nam pro Vſque placuit dicere *Inſque*.

Sed *u* conſonans, ſequente *r*, noſtrum eſt potius quàm Latinorum: nimirum ex illorum B factum. Nam *Fieure, Lure, Yure,* ſunt ex Febris, Liber, Ebrius. Alicubi tamen & ex alia litera factum fuit: vt in *Lieure*, quum illi Leporem dicant. Quinetiam in aliis vocibus quas à Latinis non accepimus, hoc *v* conſonans, ſequente *r*, habemus. vt in *Sevrer*, quo ſignificatur Ablactare: & in *Navrer*, quod eſt Vulnerare: à quo *Navra* (quum dicitur, *Il navra*) eſt Vulnerauit: quum *N'aura*, in quo *u* eſt vocalis (quæ cum *a* diphthongum efficit) ſignificet Non habebit.

Sed antequam de *v* conſonante dicendi finem faciam, de hoc quoque te monebo, nos in g nonnullis in vocibus mutaſſe. nam ex Vaſtare fecimus *Gaſter:* ex Veſpa, *Gueſpe:* ex Vagina,

Guaine. Sed Picardica dialectus in hoc, ſicut & in quibuſdam aliis quæ per *g* efferimus, à nobis diſſentit.

Quinetiam ſequente hanc literam *v* vocali *i*, eádem noſtræ linguæ mutatio placuit. Nam pro *Seruiens* dicimus *Sergent*: pro Abbreuiare, *Abbreger*: itidémque pro Alleuiare, *Alleger*.

Y

HVIVS elementi apud nos alius non eſt ſonus quàm I Latini (aut ſaltem quod Latinis eſt cum Græcis commune) ſed alius certè locus. Adhibetur enim ab orthographiæ peritis non vbicunque vulgus adhibere ipſum conſueuit, ſed vbi non aptè alterum poneretur. veluti in *Loyal*, *Moyen*, *Doyen*, *Payer*. quæ ita propemodum pronuntiantur vt ſi cum duplici *i* ſcriptum eſſet *Loiial*, *Moiien*: ita quidem vt prius *i* adhæreſcat præcedenti *o*, ad efficiendam diphthongum: at verò poſterius ſit potius vocalis quàm conſonans: ideóque poſſit ita notari, *Loïal*, *Moïen*. Ac ſunt qui putent, quum olim duplex *i* Latinum ſcriberetur, ſed ita vt poſterioris tibia (vt vernaculam metaphoram imiter, qua literæ alicui iambæ tribuuntur, id eſt tibiæ) longior quàm prioris eſſet, hoc modo, *Loyal*, *Moyen*, tandem hæc *ỵ* in *y* mutari cœpiſſe, cuius aliquam formam haberent.

Quamuis autem hanc eſſe veram talium vocabulorum pronuntiationem minimè dubium ſit, inuenies tamen in quibuſdam Lutetiæ vicinis vrbibus qui non aliter illa proferant quàm

ſi *Mogen*

si *Mogen* & *Pager* scriberetur: à qua valde rustica pronuntiatione præmonitus cauebis. Nam ad nomen quidem quod attinet, ita pronuntiandum esse constat vt si scriptum esset *Moyien:* verbum autem, quasi legeres *Payier*, aut certè *Payer*.

Quibus autem adhiberi soleat locis hæc litera *y*, ab iis quidem certè qui cum aliquo iudicio scribunt, ex patris mei Grammatice huic libro subiuncta disces.

DE DIPHTHONGIS ET TRIPHTHONGIS.

NON tantùm diphthongos habet lingua nostra, vt Græca & Latina, sed triphthongos etiam. Vtrarumque autem (ac præsertim quarundam tam ex his quàm ex illis) recta pronuntiatio difficultate quidem non caret: sed qui hanc superauerit, is labore qui longè omnium maximus est, quod ad pronuntiationem attinet, perfunctum se meritò dixerit.

De diphthongo AI.

SI Gallicum *Pais*, id est Pascis, proferre velis, memineris quomodo Græcum παῖς pronuncies. Vt enim nos hanc Græcam vocem proferimus, eundem planè sonum in ea edimus. Quum autem eadem in *Vain* & *Pain* sit diphthongus quæ in illo *Pais*, minimè dubium tibi relinquitur quin ore magis aperto proferre debeas *Vain* (id est Vanus, vel Vanum) quàm *Vin*, quo vinum significatur: itidémque *Pain* (quod est Panis) aliter quàm *Pin*, id est Pinus. Scio ta-

men esse qui in rhythmis, eum qui syllaba *ain* clauditur, illi quem claudit simplex *in* opponere non dubitent: sed licenter potius quàm rectè hoc à se fieri, nequaquam (vt opinor) mihi negauerint.

In multis certè verbis quæ sunt è Latino sermone oriunda, *a* & *i*, quæ ibi in diuersis sunt syllabis, in vnam coalescunt, per diphthongum. Nam pro Facis, Facit, dicimus *Fais*, *Fait:* sic pro Radis, Radit, *Rais*, *Rait:* & pro Pascis, pascit, *Pais*, *Paist*, cum *st* in fine. Eadémque fit in nomine *Pain* coalescentia, sed ita vt etiam transpositio interueniat. Fit enim ex Panis.

De diphthongo A V.

HANC diphthongum in multis quoque habemus Latinis vocabulis, eodémque modo in vtraque lingua eam proferimus. Neque enim in nostris, *Auditeur* & *Audience*, in *Audace*, in *Auteur*, in *Automne*, secus pronuntiamus hanc diphthongum quàm in Latinis, Auditor, Audientia, Audacia, Autor, Autumnus. Sic *Auguste*, vt illi Aûgustus: pro quo Græci (quibus diphthongns *αυ* locum huius *au* obtinet) dicunt αὔγουστος.

Quum autem hæc ita sint, non minus in hanc diphthongum peccant ij qui *Maus* (siue *Maux*) significans mala, eodem proferunt modo quo *Mots*, (id est vt proferrent Latinum Mos. nam *t* in *Mots* muta litera est) quàm peccare in diphthongum *ai* dixi eos qui eodem sono nomina *Vain* & *Pain*, quo *Vin* & *Pin* efferunt: quum his

Vinum

Vinum & Pinus, illis Vanus, siue Vanum, & Panis, declarentur. Et tamen sicut aduersus veram huius diphthongi *ai* pronuntiationem, ita etiã aduersus pronuntiationem illius, grassata est quorundam è nostris quoq; licentia, in suorum rhythmorum compositione.

Cæterùm quamuis aliquot protulerim vocabula è Latino sermone sumpta, in quibus hanc diphthongum *au* retinemus, iisque addi alia possint; tamen habere etiam nonnulla in quibus *au* in *o* mutauimus, ostendi vbi de hac ipsa litera disserui.

Sed vicissim in quædam vocabula à Latinis mutuò sumpta diphthongum hanc iniecimus, quum ea in suo sermone non *au* sed *al* haberent. nam pro Palma, Malua, Alba, diximus *Paume*, *Mauue*, *Aube*. Nam *Aube espine* est Alba spina. Et quum dicimus *Aube du iour*, (siue *L'aube du iour*) Auroram ita vocamus, quasi albam (quamuis Homerus ῥοδοδάκτυλον eam passim vocet, quasi roseos digitos habentem. quos Virgilius in roseas bigas mutans, simúlque luteam appellans, dixit, Aurora in roseis fulgebat lutea bigis) atque adeò Italos *L'alba* ita vsurpántes audimus. Sic verò & Album oui appellamus *L'aubin d'vn œuf*. Alicubi verò *L'aubun* dicitur, quod propius etiam accedit.

Quinetiam interueniente alia mutatione: vt in *Chauue*, ex Caluus: *Chaud*, ex Calidus: *Haut*, ex Altus: *Sauge*, (aut *Sauie*, cum *i* consonante) ex Saluia. Item *Aucun*, ex Ali quis.

De diphthongo EI.

IN multis vocabulis quæ iſtam diphthongum habent, nullus auditur (vt quidem plerique proferunt, rectæ pronũtiationis alioqui periti) literæ *i* ſonus: ſed tantùm literæ *e* productio. Talia ſunt, *Peine, Veine*. nam priorem horum ſyllabam produci conſtat: quum contrà in *Mène* corripiatur. Ideóque male quidam *Meine* ſcribunt: peius etiam faciunt qui vocem iſtam non ſolùm ſcribunt cum hac litera, ſed aliquo etiam modo eam ſonant. Quamuis enim non placeat auribus eruditis hic literæ *i* ſonus in duobus illis prioribus vocabulis, quæ ſunt ex Latinis Pœna & Vena, (vbi minimè eam habemus) multo tamen magis aures offendit in illo verbo *Meine*. Nam quum vocabulum iſtud ita ſonatur, eſt nomen cuiuſdam fluuij qui Ligerim ingreditur. Qui verò *Pleine* ſcribunt, non *Plene*, pro Plena, ſuam ex maſculino *Plein* defendere ſcripturam poſſunt. Hoc autem *Plein* non aliter proferimus quàm Græcum πλεῖν, ſiue quod eſt à πλέω, ſiue quod Atticè pro πλεῖον vſurpatur.

Quemadmodum porro diphthongus iſta perperam ponitur in illis *Peine* & *Veine*, atque aliis vbi ſatis eſſe poſſet *e*: ita etiam malè in nonnullis quæ litera *i* contenta eſſe poſſent. vt in *Pindre, Findre, Cindre:* quum ſint à Pingere, Fingere, Cingere.

Quidam verò malè hac diphthongo nonnulla ſcribunt in quibus diphthongus *ai* locum ſibi vendicat. vt quum pro Planus ſcribunt *Plein:*

quum

quum ex Planus quidem sit *Plain*, at ex Plenus, *Plein*. Sed & *Fonteine* quidam malè non scribunt solùm sed pronuntiant etiam, pro *Fontaine*.

De diphthongo EV.

HVIVS pronuntiatio aut nihil aut parum ab ea differt quæ auditur in Euge. Ac certè si, quemadmodum in Euge pronuntias εὖ quod est in εὖγε, ita etiam in φεῦ Latinam illam (quæ saltem nunc à plerisque pro Latina habetur) pronuntiationem eidem voculæ εὖ dare velis, eundem propemodum edes sonum quem nos quũ vocem proferimus qua ignem significamus. ea enim est *Feu*. Cui similia sunt, quod ad sonum attinet, *Peu*, *Lieu*, *Dieu*: & *Veu*, id est Votũ. Quin etiam (accedente aliqua litera) *Peur*, id est Pauor: *Pleut*, id est Pluit.

Verùm hîc admonendus es, nonnulla esse quæ quanuis eodem à multis modo scribantur quo & præcedentia, non tamen eodem proferri modo debent. Nam *Pleut* quum scribant non pauci, tum etiam quum significat Placuit, tamen quum in prima persona dicimus *J'ay pleu*, non aliũm edimus sonum quàm in priore syllaba verbi Pluit: neque verò alius editur in *Pleut*, quàm in *Pleu*, nisi quòd sonatur etiam litera *t*. Atque adeo diphthongum huíc loco non adhibere, satius esse dico. Idémque dixerim & de *Peu*, cuius infinitiuus est *Pouuoir* (id est Posse) nimirum non esse cur cum diphthongo, potius quàm cum *v* solo scribamus, *Pu*, quum dicimus,

J'ay pu, id est Potui. nam aliter non proferimus quàm priorem syllabam verbi Puto, aut Pudor, aut Puer. Ac potest sanè, quum diphthongus v-triq; loco adhibetur, ambiguitas interdū oriri, quū illi has voces, *J'ay peu*, nō minus significare velint Potui, quàm Habeo parum. Sed enim est etiam quoddam *Veu*, quod minimè ita efferri solet vt id quod Votum declarare dixi. nam quum dicis, *J'ay veu*, intelligens Vidi, perinde pronūtias *veu*, acsi diphthongus *eu* hîc nō esset, sed tantùm *v* consonans cum *u* vocali: & pronuntiandæ tibi essent hæ literæ in Latinis, Vulgus, aut Vultus, aut Vulnus.

Denique in *Seur* quoque pro Securo, & *Meur* pro Maturo, alius est sonus quàm in primis illis, *Feu*, *Peu*, &c. perinde nimirum ac si *Sur* & *Mur* scriberetur: in quibus certè non alium edit litera *u* sonum quàm ea quæ est in penultimà Latinarum vocum Securus & Maturus, ex quibus illæ factæ sunt. Nam *Sur* pro *Secur*, itidémque *Mur* pro *Matur*, dici constat, ex Securus & Maturus. atque adeo illud *Secur* quædam hodiéque dialecti vsurpant.

De diphthongo o e.

ETIAM o e inter diphthongos Gallicas quidam numerant. Quoniam autem sunt qui per *o e* scribant nonnulla quæ alij per *o i*, in hac diphthongo de illa quoque differam.

De diphthongo o i.

SONVS diphthongi istius ambiguus est quodammodo inter sonum literarum *o i* & literarum

rarum *oe*: quum dicimus *Mois*, *Fois*, *Trois*, *Pois*. Sed magis ſonum ſuum in hac diphthongo retinet litera *i*, in vocabulis vbi hanc ſequitur *n*, vt in *Coins*, *Moins*, *Poins*, *Soin*, *Beſoin*, magis in hac diphthõgo (inquam) ſonum ſuum litera *i* retinet ſequente *n*.

Magis tamen ad antiquam pronuntiationem diphthongi Græcæ *oi* puto priorem illam accedere: præſertim quum *Moi* & *Toi* (vel *Moy* & *Toy*, vt frequentius ſcribitur) ex Græcis μοὶ & τοὶ, (nam τοὶ pro τοὶ Doribus in vſu eſſe ſcimus) ſumpta eſſe conſtet. Cum his enim particulis earum quoque ſonum ad noſtram tranſiiſſe linguam exiſtimo: ac poſtea, quum multis vocabulis è Latino ſermone petitis eadem diphthongus per literarum tranſpoſitionem accommodata fuiſſet (veluti, quum Gloria in *Gloire*, Memoria in *Memoire* tranſiiſſet) ſubſtitutam etiam pro *e* in quibuſdam fuiſſe adeo: vt (exempli gratia) ex *Crere* pro Credere, ex *Bere* pro Bibere, ex *Fé* pro Fide, ex *Lé* pro Lege, ex *Ré* pro Rege, factum fuerit, *Croire*, *Boire*, *Foy*, *Loy*, *Roy*. Ac certè quod dico veriſimile reddunt etiam dialecti quæ hodiéque illa, *Fé*, *Lé*, *Ré*, vſurpant. Siue autem ſcribas *Foy*, ſiue *Foi*, (idem de cæteris quoque intellige) nihil intereſt, quod ad pronuntiationem attinet: ſed paulo etiam vſitatior eſt cum *y* ſcriptura, ſicut de pronominibus dixi quæ ex Græcis μοὶ & τοὶ accepimus. Videndum autem ne cum multis extraneis, ita pronunties *oi* in hiſce omnibus vocabulis vt in Græco οἶς

pronuntiatur. Ita enim multi *Foi* pronuntiant, quasi scriptum esset *Foï*, non coalescente per diphthongum litera *i* cum *o*.

Ad illa verò quod attinet quæ prima in exemplum attuli, *Moïs, Foïs, Troïs, Poïs*, monendus es de quadam ineptissima eorum aliorúmque huiusmodi pronuntiatione: quasi nimirum literis *o* & *a* in diphthongum coeuntibus scriptũ esset, *Moas, Foas, Troas, Poas*. Ita enim non pauci, errorem vulgi (Parisini præsertim) sequentes, pronuntiant.

Sed quum hæ literæ *oi* in diphthongum coalescentes, ad *oe* potius quàm ad illas *oa* accedant, atque adeo quendam ambiguum (vti dixi) & ancipitem inter *oi* & *oe* sonum in illis vocabulis audiamus: non mirum est quosdam per *oe* scribere quæ ab aliis per *oi* scribuntur. (Ac certè videmus Latinos itidem per *æ* scripsisse ea quibus Græci diphthongum *οι* adhibebant: vt Phœnix pro Φοῖνιξ, & OEneus pro Οἰνεύς. eodémque modo per *æ* quæ Græca lingua per *οι* scribebat.) Sed ex iis quibus hæc per *oe* scriptura placet, alij passim ea vtuntur, vt in *Moes* (pro Mẽsis, vel Mẽses) & cæteris: paritérq; in *Poeure, Foet, Soer*. Alij verò qui in tribus his vocabulis, literis *oe* quàm *oi* vti malint, nequaquam idem & in voce illa quæ Mensem seu Menses significat, cæteríque, fecerint. Ad *Soer* quidẽ certè quod attinet, si in Latina voce Sero literæ *o* sedem mutes, ex ea Gallicam *Soer* facies. Vnum est de cuius per *oe* scriptura, magis quàm de

alîus

alîus cuiuſquam, inter multos conuenit. Id autem eſt *Moelle*, id eſt Medulla. ſed hîc literas *oe* diphthongum efficere plerique non immeritò negabunt: quum vox illa trium potius quàm duarum ſit ſyllabarum.

De diphthongo ov.

EADEM quæ apud Græcos eſt diphthongus. eundem enim ſonum damus vocabulis quæ diphthongum iſtam habent, quem Græcis *ου* habentibus. Nam (exempli gratia) hoc in ſermone, *Ie ſçay bien où il eſt*, pro his, *où il eſt*, dices, *οὗ ἐστι*. (habenda autem hîc non eſt ratio ſpiritus in pronuntiatione, vt conueniat cum noſtra) & pro hac interrogatione, *Où eſt-il?* dicendum erit, *ποῦ ἐστι*;

ALIAE inſuper enumerantur diphthongi: ſed quæ fortaſſe videntur diphthongi, potius quàm ſunt. Ideo autem videntur diphthongi, quòd earum quibus adhibentur vocum plurimæ proferantur tanquam monoſyllabæ: vt IE in *Mien, Tien, Sien, Chien*. Sed etiamſi in plurimis hanc *μονοσυλλαβίαν* habeamus, non tamen in omnibus. Neque enim in *Ancien, Practicien, Grammairien*, hæ vltimæ literæ *ien* vnicam ſyllabam efficiunt. Quinetiam iſta, *Miel, Fiel*, facta è Latinis Mel & Fel, non ita ſunt monoſyllaba vt non & diſyllaba eſſe poſſint. Videndum autem annon in iſtis Miel & Fiel talem vſurpemus literarum *ie* ſynæreſin qualis vſurpatur ab Horatio in Vietis, hoc in verſu,

Quis ſudor vietis & quã malus vndiq; mẽbris.

Alioqui certè dicendum esset Horatium tertiam nominis huius syllabam corripuisse quæ à Lucretio producitur, lib. 3,

Neq; supra caput eiusdē cecidisse victā Vestem.

Cæterùm si literæ *ie* diphthongi nomen accipere non debent, certè nec quædam aliæ, quibus tamen inter diphthongos Gallicas locum nonnulli tribuerunt. Excipio tamen syllabam *ui*. hæ siquidem literæ in diphthongum coalescere videntur non tantùm in *Nuict* & *Nuit*, (id est Nox & Nocet) *Cuit* (id est Coquit) *Mui*, *Huis*: sed in nonnullis etiam quæ aliam formam habent.

Quemadmodum autem literas IE in Latino itidem vocabulo Victus per synæresin in vnam syllabam coire ostendi, ita etiam istis VI idem vsuuenire videmus, in voce Pituita. Hoc enim versu ab eodem poeta clauditur epistola libri prioris prima,

Præcipuè sanus, nisi quum pituita molesta est.

Alioqui certè in huius nominis quantitate syllabica discedere à cæteris dicendus esset.

Ad Gallicas autem voces vt redeam, sunt qui in diphthongo OI, pro I certis quibusdam in locis scribant Y. Vt igitur OY pro OI scribi dixi suprà in *Moy*, *Toy*, *Foy*, &c. ita VY scribi dico in nonnullis vocabulis, ex quibus est *Muy*. Sed hæc scripturæ differentia minimè vllam pronuntiationis differentiam vel hîc vel illic efficit.

DE TRIPHTHONGIS.

SATIS apta triphthongorum exempla tibi suppe-

suppeditabit patris mei Grammatice. Omnium certè difficillimam pronuntiationem habent OEI & VEI. Non eodem autem omnes modo pronuntiant vocabula quæ alterutram harum triphthongorum habent. Nam hæc, *Oeil*, *Dueil*, *Accueil*, *Orgueil*, & alia huiusmodi, ita proferuntur à nonnullis vt *e* longum, cum tenuissimo literæ *i* sono, audiatur: ab aliis, ita vt quidam literæ *u* sonus ad aures perueniat. Non loquor autem de *u* quod est ante *ei*, sed de alio quod quũ in fine non scribatur, tamen aliquis eius sonus audiri videtur. Verùm ad *Orgueil* quod attinet, in adiectiuo inde deriuato *Orgueilleux*, non itidem seruari hæc posterior pronuntiatio sine auriũ offensione potest: quæ alioqui magis quàm altera frequentatur.

Malè porro adduntur quidã literarum terniones (vt ita dicam) quasi coeuntes & ipsi in diphthongos. Ex quibus ternionibus sunt, EAI (vel EAY) & EOI, necnon VEV. Primus, qualem habemus in *Geay*, & *Mangeay*, *Chargeay*, ac similibus: secundus, qualis est in *Bourgeois*: tertius, qualem videmus in *Gueux*. Nam in hoc quidem ternione, litera *u*, in illis autem, primo & secundo, litera *e* non pronuntiatur, sed potius ad ostendendam literæ *g* pronuntiationem ponitur. Si enim (exempli gratia) *Gay* scribas, non *Geay*, (vt perinde sonetur ac si scriptum esset *I'ay*, *i* consonante) aliam omnino significationem habebis. In exemplum verò illius ternionis, VEV, nihilo magis profuerit afferre vocem *Cueur*, quàm

illam *Gueux*. Manifestum enim est, vt in *Gueux* ponitur prius *u* ad indicandam literæ *g* pronuntiationem, ita in *Cueur* poni ad ostendendam prolationem literæ *c*: nimirum ne quis alioqui *c* fracto sono ita pronuntiet ibi ante *eur*, vt ante *eux* pronuntiatur in *Ceux*. Atque adeo non sonari literam *u* quæ est in principio nominis *Cueur*, vel ex eo apparet, quòd ij qui non *Cueur* sed *Cœur* scribunt, eodem tamen modo efferũt. Scio autem posse alicui videri, eandem esse illius ternionis VEI rationem: nimirum *u* indicem esse prolationis literarum *c* & *g*, in *Accueil* & *Orgueil*, ac similibus: verùm si non aliam ob causam poneretur, nequaquam in *Dueil* quoque, aliisque nonnullis eam haberemus.

DE CONSONANTIBVS.

IN CONSONANTIBVS operæpretium est earum non tantùm pronuntiationem, (quam earũ nonnullæ non vbiq; eandẽ seruant: vt *c* & *g* non eundem huic vel illi vocali præfixæ sonum edunt) sed alicubi & permutationem considerare: id est, quomodo vna pro altera ponatur, interdum quidem in vno eodémque vocabulo: interdum verò, ita vt in primitiuo vnam habeamus, at in deriuato alterã. In vna eadémque voce, vt videmus pro Flamma dici non solùm *Flamme*, sed etiam *Flambe*: & à *Flambe* quidem sunt, *Flambeau*, & *Flamber*, ac *Flamboyer*: à *Flamme* autem, *Flammerole* & *Flammesche*. In primitiua autem & in deriuata: vt *Liure* & *Libraire*. Sed nunc de quarundam pronuntiatione potius

potius agam, sic tamen vt quæ à patre meo dicta iam de ea fuerunt, prætermittam.

LITERAE C à quibusdam subappingitur notula, (nos vulgo caudam appellamus) hoc modo, ç. Ostendit autem hanc literam iis in locis fractum quodammodo sonum habere, & pronuntiari vt s. exempli gratia, *Commença, Auança, Commançons, Auançons: Leçon, Façon:* perinde acsi scriptum esset *Commensa, Auansa,* (eodémq; pacto cætera.) non autem eo modo quo pronuntiatur C in Cato, Caput, Capio, Capillus, Copia, Condo, Como. Quum autem illud *c* caudatum nõ ponitur, solet *e* inseri, ad indicandam quam dixi pronuntiationem: hoc modo, *Commanceons, Auanceons*, itidémque in reliquis.

C adiunctã habens literã (seu aspirationem) *h*, plerunq; sonat vt χ Græcũ. Nã in *Chere* (siue significet vultum siue id quod declarat in isto loquẽdi genere, *Faire bonne chere*) ita pronuntiatur vt vulgò in χαῖρε: à quo dicere etiam possumus esse deriuatum. Sic in *Cher* (quod vtramq; nomnis Carus significationem habet) & in *Chair*, quod est Caro. Sic in *Chien* eum audis sonum quem in priore nominis χιτὼν syllaba.

Quinetiam in *Chole* (quum dicitur, *A la chaude chole*, vel, *En sa chaude chole*) item in *Cholere*, in *Chorde*, non alium audis literarum *ch* sonum quàm literæ χ in his Græcis, χολή, χολέρα, χορδή: à quibus illa sunt. Sed quum apud Græcos ante α quoque eundem quem ante ο sonum habeat (vt in χάρις, in χαμαί,) nos eundem illi

damus quem ante *e*: vt videre est in *Champ, Chable, Chanure, Chancre, Changer*. Hinc fit vt *Careſſe* ſcribatur, non *Chareſſe*, quamuis ſit à χάρις, ſeu χαρίζεσθαι.

Sunt autem plurima Latinorum vocabula, quæ Gallica lingua in ſuum transferre vſum noluit, niſi literam *h* (ſeu aſpirationē) literæ *c* adiungendo: aut (ſi mauis) niſi tenuem literam mutando in aſpiratam. Neque verò putandum eſt facilia cognitu eſſe quæcunque hanc mutationem ſunt paſſa. Nam facile quidem eſt animaduertere, *Chaſte, Chaſtaigne, Chandele, Chalumeau, Chancre, Chanter, Chaſtier, Chaſtrer*, eſſe à Caſtus, Caſtanea, Candela, Calamus, Cancer, Cantare, Caſtigare, Caſtrare: (eodémque modo aliorum multorum originem manifeſtam eſſe dicere poſſumus) ſed non itidem cuiuſuis fuerit deprehendere originem nominis *Charme*: quamuis hîc, præter interpoſitionem literæ *h*, nulla fere ſit vocis Latinæ mutatio. Eſt enim à Carmen, eam quidem huius nominis ſignificationem accipiendo, qua pro incantamento ponitur. Præſertim verò vbi præter tenuis mutationem in aſpiratam, alia mutatio interuenit, hoc originem aliqua ex parte abſcondit. Exempli gratia, vbi mutatur etiam aliqua vocalis in aliam: (vt *a* in *e* in *Chenu*. eſt enim à Canus) & quū aliqua conſonans interiicitur. vt in *Chambre*: eſt enim ex Camera. Item quum *al* tranſit in *au*: vt in *Chauue, Chaud*. ſunt enim à Caluus, & Calidus. Præſertim verò vbi alia etiam vocalis literæ *e* præfixa

fixa eandem mutationem accipit: vt videre est in *Chaume*. hoc enim ortum est à Culmus: ac potiùs *Chaulme* scribitur, litera *l* nullum sonum edente, sed tantùm originem, vt in aliis plerisque vocibus, testante. Sed hoc sciendum est, esse nobis quandam dialectum, quã Picardicam vocamus, quæ iis quibus nos *h* interponimus, minimè interponit: (dicit enim *Kandelle, Kien, Kat, Katouiller, Kanter*, non vt nos, *Chandelle, Chien, Chat, Chatouiller, Chanter*) vicissímque interiicit vbi nos non interiicimus. dicit enim *Cherf, Chent, Cheluy, Chelle, Chenx, Chela, Chedule*, pro *Cerf, Cent, Celuy, Celle, Ceux, Cela, Cedule*.

Huius autem rei te admoneo, tum vt nõ planè noua tibi sit hæc pronuntiatio, (si fortè in illam dialectum incidas) tum etiam vt videas deriuationem modò cum vna, modò cum altera scriptura cõgruere.

Verùm ne hoc quidem prætermittendum est, quædam esse quæ vtroque modo efferantur: interdum quidem vna eadémque significatione: vt *Chable* & *Cable*: (ideóque vel ab Hebraica vel à Græca voce originem habere dici potest) interdum verò diuersa, vt *Champ* & *Camp*.

De consonante D.

QVARTAM literam D, in fine vocabulorum (veluti in *Grand, Friand*) sonare vt *t*, non rectè quidam scripserunt. Potius nanque fateri oportebat, non posse huiusmodi in locis poni à pronuntiante discrimen inter *d* & *t*. Nam *d* non accipere sonum literæ *t*, in nominibus *Grand*,

Friand, apparet ex vocibus fœmininis, *Grande*, *Friande*: & ex deriuatis, *Grandeur*, *Grandir*: *Friandiſe*, *Friander*. Addendum igitur erat, licet illa diſtingui non poſſint, quod ad pronuntiationem attinet, poſſe tamen quod ad ſcripturam: atque hanc vel ex origine, vel ex genere fœminino & deriuatis cognoſci: interdum verò ex his ſimul & ex origine. vt videre eſt in *Grand*: hoc enim oriundum eſſe ſcimus à *Grandis*, præterquam quòd & fœmininum nomẽ ex eo factum, & deriuata, literam *d* habere videmus. At verò in *Gland*, ſola origo ſcripturam nobis indicat. Neque tamen nego in pauculis quibuſdam *d* Latinum in *l* tranſiiſſe: vt in Appendix. ex eo enim fecimus *Appentis*. Quinetiam, quamuis dicamus *Marchand* per *d*, tamen Latinos ſcimus mercantem dicere: vnde illud manauit. Sed ne de ſcriptura nominis *Marchand* dubitemus, faciunt, *Marchande*, *Marchandiſe*, *Marchander*. At verò *Marchant*, cum *t*, eſt ambulans, ſeu incedens.

Sæpe etiam infinitiuus ſcripturam docet. Exempli gratia, quum dicamus *Craindre*, *Pindre*, *Findre*, ſcribendũ eſſe apparet, *Craind*, *Pind*, *Find*. Quinetiam quum hoc pacto hæc tertia perſona ſingularis, modi indicatiui, ſcribatur, altero ſcribi debet eadem vox quum eſt participium. Nam pro Formidatus ſcribendum eſt *Craint*, non *Craind*: vt oſtendit fœmininum: *Crainte*, Formidata. Atque idem de aliis duobus, ac de cæteris huiuſmodi intelligendum eſt.

Ex

Ex illis autem quorum scripturam origo duntaxat declarare potest, sunt *Quãd* & *Quant:* hoc à Quantum, illud à Quando. Vulgus tamen, & plurimi etiam qui è vulgo non sunt, scribere *Quant* consueuerunt, etiam quum temporis, non quantitatis, aduerbio vtuntur.

F

LITERA hæc alium nobis non edit sonum in principio vocabulorum, aut medio, aut etiam in fine (sequentibus tamen in eadem syllaba aliis literis) quàm eum quem illi damus quum Latina pronuntiamus. Nam in *Face, Facile, Difficile, Finir, Effect, Parfaict*, non secus proferimus quàm in Latinis vocibus quæ his respondent. Sic & in monosyllabis, vt *Fin, Fils, Fil.* Idémque & de illorum dicere pronuntiatione possumus quæ suam è Latino sermone originem non habent.

Dixi autem, In fine vocabulorum, sequentibus tamen aliis in eadem syllaba literis: quoniam hoc nobis proprium, non autem cum Latinis aut Græcis commune habemus, vt eam vltimam etiam in plerisque vocibus ponamus. Dicimus enim *Neuf, OEuf, Veuf*, item *Bref, Nef, Clef.* Quibus in vocabulis considerandum est quomodo litera *u* in *f* transierit: vbi quidem est vnica, in *f* tantùm: vbi verò duplicata est, in *u* & *f.* Siquidem *Bref, Nef* & *Clef*, fiunt ex Breuis, ex Nauis, & Clauis, mutato etiam *a* in *e* in hisce duobus: at verò *Neuf, OEuf, Veuf*, esse scimus ex Nouus, Ouum, Viduus. Sic tamẽ vt aliqua etiam

quæ sunt à Latinis vnicum *u* habentibus, eodem quo ista modo scribantur, ac pronuntientur. Nam pro Nouem quoque vtimur voce illa *Neuf*, & Bouem appellamus *Beuf*. Vicissim autem vbi duplex erat *u* apud Latinos, vnica litera *f* contenti fuimus in quibusdam: vt quum pro Seruus & Ceruus diximus *Serf* & *Cerf*. Atque ex hoc esse numero arbitror vocabulum *Naif*, siue *Nayf* (disyllabè, vtrocunque modo scribatur) nam quin ex Latino Natiuus ortum habeat, minimè dubito: præsertim quum significatio optimè respondeat.

Exprimitur porro in omnibus illis Gallicis vocibus litera *f* (quum quibusdam aliis consonantibus contingat vt in fine vocabulorum supprimantur) communémque sonum habet cum eo quem literæ φ, aut etiam literæ υ, in diphthongo ευ, dare solemus. veluti quum syllabam νεφ in νέφος seu νεφέλη, vel quum vocalem monosyllabam εὖ, aut etiam *veu* in nomine νεῦρον, pronuntiamus. ita enim hanc literam, præcedente *e*, proferimus, in *Nef*, *Clef*. Exempla autem pronuntiationis earum vocum in quibus diphthongus *eu* præcedit literam *f*, non possumus quidem in hac lingua itidem inuenire: sed clarum in illorum quoque fine sonum habere sciendum est. Cæterùm quanuis in omnibus illis vocibus exprimi literam istam *f* dixerim, à vulgo tamen & nonnullis etiam qui è vulgo non sunt, in quibusdam interdum supprimitur: ac præsertim in *Clef*. Sed qui in hoc nomine supprimunt,

nequa-

nequaquam idem & in *Cerf*, cum vulgo, faciunt.

Addam, tanquam huius loci corollarium, aliquid quod obseruatione dignissimum est: nimirum haud vllum (meo iudicio) διγάμματος AEolici insignius exemplum afferri posse quàm voces *Serf* & *Cerf*, & quæ eodem à Latinis modo sunt deriuatæ. Si enim verum est, scriptum olim fuisse SerFus pro Seruus, nos certè scribentes ac pronuntiantes *Serf*, planè id retinemus.

Verùm & hoc obiter considera, Latinos literam *u*, quam nos postea in F mutauimus, adeo *amasse* vt multas Græcorum voces suum in vsum transferre nisi inserta illa litera (*u* inquam) noluerint. Ex illis autem sunt ὠὸν & ὅϊς: nam pro ὠὸν, Ouum, pro ὅϊς, Ouis dixerunt.

De consonante G.

QVVM literam G duobus proferri modis videamus, ab his mollius, ab illis vehementius, non hoc sed illo pronuntiari modo sciendum est in Gallicis vocibus, cuiusmodi sunt, *Regner*, *Espargner*, *Besongner*, *Tesmoigner*, *Soigner*, *Coigner*, (quæ tres postremæ etiam litera *n* ad *i* addita scribuntur, *Tesmoingner*, *Soingner*, *Coingner*) paritérque in *Magnanime*, *Magnifique*. Molliorem autem voco pronuntiationem qualis est quum proferimus Latinum Agnus: vehementiorem, qualis est quum Græca ἄγνος & ἁγνὸς pronuntiamus, aut quum Μάγνος, quod Græci è Latino Magnus acceperunt. Ante *i* autem & ante *e*, non aliter efferimus quàm in Græca & La-

tina lingua ante eaſdem vocales efferremus.

Verùm quum in illis quæ dixi vocabulis aliiſque huiuſmodi, de pronuntiatione huius literæ inter omnes conueniat, ſciendum eſt non itidem de eius in quibuſdam vocabulis prolatione conuenire, quum vocali præfixa eſt. Nam (exempli gratia) quum omnes pronuntient, *Changea, Chargea, Rengea*, perinde acſi cum *i* conſonante ſcriptum eſſet *ChanIa, CharIa, RenIa*, eodémque modo *Changer, Charger, Renger:* tamen non itidem omnes proferunt *Interrogea* & *Interroger:* ſed ex pleriſque, vehementi potius quàm molli hîc vtentibus pronuntiatione (nam & hîc ita vocare poſſe videmur) audis *Interroga*, eundem edente ſonum poſtrema ſyllaba quem edit in Latinis verbis Interroga & Interrogauit. Ac pariter in infinitiuo, *Interroguer*, non *Interroger*. Atque hæc vehemẽs ſeu fortis (vt ita dicam) pronuntiatio alteri præfertur.

Hac etiam de re monendus es, hoc potius ex ſtulta quadam mollis ſoni affectatione quàm ex Gallicæ linguæ natura proficiſci, vt à multis hæc litera *g* non ſonetur ante *n:* & non *Regne, Regner, Digne, Signer, Aſſigner, Aſſignation*, proferatur: ſed perinde acſi abſque *g* ſcriptum eſſet, *Rene, Rener, Dine*, itidémque cætera.

De conſonante, ſeu aſpiratione, H.

ITIDEM de conſonante H (ſi hæc aſpiratio inter literas obtinere locum debet) à me moneberis, ne multis fidas, illam negligentibus, aut etiam per inſcitiam prætermittentibus. Quum autem

autem litera hæc vtrunque Græcæ linguæ ſpiritum nobis repræſentet,& lenem & deuſum, hîc de denſo loquor: qualis auditur (audiri quidem certè debet) in *Hoqueton, Hardi, Harpe, Haut, Honte, Haquenee.* Sed multi aſpirationem prætermittentes, perinde pronuntiant ac ſi ſcriptũ eſſet, *Vn oqueton,* (non *Un hoqueton*) & *Vn'aute maiſon* (non *Vne haute maiſon*) ſic *Vn'onte, Vn'aquenee, Vn'arpe,* (non *Vne honte, Vne haquenee, Vne harpe*) eodémque cætera modo proferunt. Et in quibuſdam verbis: vt *Il m'ait*, pro *Il me hait.* quum *Il me hait*, ſit, Me odit: at *Il m'ait*, ſit Habeat me. Atque hic certè error noſtra in lingua haud leuis habetur: vt viciſſim ſiquis huic literæ denſum ſpiritum tribuat, vbi lenem poſtulat, velut in *Homme*, in *Hoſte, Hoſtelerie, Honneur, Honeſte, Honeſteté.* Hîc enim par, aut certè haud multo minor committetur error, dicendo *Vne hoſtelerie, Vne honeſteté:* quum ſonari hæc debeant perinde propemodum acſi abſq; *h* ſcriptum eſſet, *Un'oſtelerie, Vn'onneſteté.* Gallica enim lingua in his, aliiſque quamplurimis, literam *h* ad indicandam deriuationem potius quàm pronuntiationem, retinuit: ſic tamen vt eam ſimúlque eius aſpiratricem vim nonnullis dare vocabulis ſibi permiſerit, in quibus Latini eam reſpuebant. vt videmus in *Haut*, ex Altus. Quinetiam in nonnullis quæ ex Græco ſermone ſumpſit, aſpirationem diligenter ſeruauit. vt in *Haper*, ab ἅπτεσθαι: in *Hoqueton*, ab ὀχιτών: in *Hale*, ab ἅλως, ſiue ἄλων. Item in *Hale* (quum di-

citur, *Le hale du ſoleil*: malè enim vel ſcriberetur vel pronũtiaretur *L'ale du ſoleil*) à Doricò ἄλιος, pro ἥλιος.

Cæterùm nomina fœminina quæ ſuam in pronũntiatione aſpirationem ſonari volunt, ab aliis dignoſces, obſeruãdo vtrum è duobus pronomen illis præfigatur. Quum enim in *Honte* denſum ſpiritum habeat *h*, dicitur *Ma honte*, *Ta honte*: non *Mon honte*, *Ton honte*. quum verò contrà lenem habeat in *Honeſteté*, dicitur *Mon honeſteté*, *Ton honeſteté*: non *Ma honeſteté*, *Ta honeſteté*. Sic certè *Mon hoſteſſe*, non *Ma hoſteſſe*.

Quomodo autem hæc aſpiratio noſtræ linguæ in certis quibuſdam vocabulis placuerit, ideóque in illis ex litera tenui c fecerit aſpiratam χ, dictum fuit in illa conſonante c.

De conſonante L.

HAEC cõnſonans, quum geminatur, molliorem ſonum habet quàm quum vnica ponitur: & quidem talem plerunque vt vnam tantùm *l*, quam ſequatur *i*, videaris audire. Præſertim verò ſequente vocali *e*, vel *o*. Sequente *e*: vt in *Piller*, pro Prædari, ſeu Diripere. Eodem enim ferè modo pronuntias quo *Pilier*, quod Pilam ſeu Columnam ſignificat: longè certè aliter quàm pronuntiares *Piler*, pro Tundere. Sic longè aliter finem verbi *Bailler*, quàm verbi *Baler*. Atque hîc obſeruandum eſt, vocalem *i*, aut per diphthongũ cum alia vocali coaleſcentem (vt in *Bailler*, in *Grenouille*) aut etiã ſolã, & abſque alia poſitam (vt in *Piller*) præcedere hanc literæ *l* gemi-

geminationem. In qua alioqui nõ ſemper hunc ſonum audiri, oſtendit verbum *Raller*. Hîc enim duæ *ll* minimè ſonum illum edunt quem in *Railler*; ſed tantùm paulo fortiorem quàm ſi vnica *l* ſcriptum eſſet *Raler*. Et hæc quidem ſint exempla pronuntiationis duarum *ll*, quas præcedit *i*, & ſequitur *e*. Ex iis verò in quibus ſequitur *o*, ſunt, *Bouillon*, *Souillon*, *Brouillon*, *Paullon*. Nam (vt vltimo exemplo ſim contentus) propemodum tibi videris audire *Paulion*. Atque adeo hæc pronuntiatio optimè cum deriuatione congruit: quum ſit à Latino Papilio.

Ad *l* autem finale quod attinet, monitum te velim ne iis fidem adhibeas qui in fine quarundam vocum, (earũ præſertim in quibus *o* ipſum *l* præcedit) pronuntiari dicunt vt *u*. Nam hæc pronuntiatio, *Fou*, *Cou*, *Mou*, planè eſt ex abuſu, pro *Fol*, *Col*, *Mol*: quanuis non ſolùm vulgus ſed multi etiam qui è vulgo non ſunt, altera illa pronuntiatione vtantur, vel potius abutantur. Suam verò imperitiam produnt iidem quum in exemplum afferunt etiam *Sol*, pro Satur: quũ Gallicæ linguæ puritas nullo modo hoc nomen admittat, ſed tantùm *Soul* dicat, pro quo plerunque ſcribitur *Saoul*.

Hoc elementum *l*, vnum eſt ex iis quæ dixi in fine multarum vocum, à pronuntiantibus prætermitti. Huius certè rei exemplum habemus in eo quod vltimũ propoſui vocabulo: nam quanuis *Soul*, aut potius *Saoul* ſcribatur, & ſcribi debeat, ſequendo originem (eſt enim non à Satur,

ſed ab eius diminutiuo Satullus) vtplurimum tamen ad aures peruenire tantùm ſolet *Saou*, abſque *l:* vel potius *Sou.* nam *a* in *Saou* ad teſtandam potius originem, quàm ad ſonum aliquem edendum, ponitur. Cæterùm omiſſionis illius exempla habemus & in *Sourci*, in *Gri*, *Couti*, *Fuſi*. Conſtat enim pronuntiandum eſſe *Sourcil*, *Gril*, *Coutil*, *Fuſil*. Quinetiam *Fi*, vel *Fis*, pro Filio dicentem vulgum audies, non *Fils:* at pro filo, nunquam aliter quàm *Fil*, cum *l.*

De hoc elemento addam & aliud quod ſcire te operæpretium eſt: nimirum in iis verbis in quorum præſenti geminatur, non manere & in cæteris omnibus eorum temporibus geminatum. Pronuntiamus enim *I'appelle*, cum *ll:* item *I'appelleray:* ſed *I'appelois*, potius quàm *I'appellois:* item *I'ay appelé*, potius quàm *I'ay appellé.* Ac certè in hoc præſertim tempore vnicum *l* proferri animaduertis. Obſeruandum autem tibi eſt nos in his præteritis id facere quod Græci in futuris verborum quæ in λλω deſinunt, facere conſueuerunt. Sic enim quum Ἀνατέλλω, Ἀποστέλλω, Ἐπιστέλλω, in præſenti dicant, tamen futura eſſe videmus, Ἀνατελῶ, Ἀποστελῶ, Ἐπιστελῶ.

De conſonante M.

DE HVIVS conſonantis pronuntiatione non tam habeo quæ te doceam, quàm quæ dedoceam. Dediſcas enim volo (ſi fortè didiciſti) quod quidam de hac docuerunt: nimirum ante *b* & *p*, & ante aliam m, proferri vt *n.* vt in *Tremb̲ler*, *Combler*, *Embaler*, *Embraſer*, *Embraſſer*, *Embuſches:*

buſches: in *Empereur, Empire, Empirer, Empeſcher, Emplir, Empoiſonner.* Neque enim qui bene pronuntiant, in vllo horum *m*, tanquam *n*, proferũt. Sic etiam ſequente eadem litera, vt in *Emmener, Emmurer, Emmeubler, Emmonceler*, nequaquam priori *m* ſonum literæ *n* dare periti rectæ pronuntiationis ſolent.

Ne hoc quidem verum eſt, in fine vocabulorum, non aliter quàm *n* pronũtiari. Aliquo enim modo, ac certè quantum poſſumus, particulam negatiuam *Non* à *Nom* ſignificante Nomen, diſtinguimus. Atq; vt in *Nom*, ita etiam in *Renom*, in *Faim, Daim*, aliquid diſcriminis inter hanc illã ponimus. Sed quum hanc ſequitur alia conſonans, tũ certè nõ facilè ab *n* diſtinguimus: vt (exẽpli gratia) in *Chams* (pro quo ſcribi ſolet *Champs*) quo campi ſignificantur, vix alium dare poſſumus huic literæ *m* ſonum, quàm damus literæ *n* in *Chants*, id eſt Cantus, vel Cantica.

De conſonante N.

HAEC conſonans in quibuſdam vocabulis geminatur, quum tamen in iis quæ ex illis ſunt deriuata, ſimplex ponatur. Exemplo eſſe poſſunt, *Honneur, Honeſte, Honorer, Honorable.* Quamuis enim in *Honneur* duplicetur hæc litera, ſimplex in deriuatis ponitur: ſeruando hîc, non item illic, Latinam orthographiam. Magis tamẽ peccabit qui *Honeur* ſcribet vnica *n*, quàm qui in illis deriuatis duplicem ponet.

Nullum autem hanc literam ſonum edere in tertiis verborum perſonis pluralibus, deſinen-

tibus in *oyent*, vel *ent*, (non præcedentibus illis literis *o* & *y*) docui quum de litera E differerem.

De consonante P.

HVIVS consonantis in fine positæ sonus interdum exprimitur, nonnunquam supprimitur. Exprimitur, velut in *Beaucoup*, (licet vulgus plerunque hanc non sonet) item in *Trop*: vbi non aliter sonamus quàm in illis nauticis acclamationibus, ὠὸπ & ὠοπὸπ, sonaremus. At verò supprimitur (aut omnino, aut magna ex parte) velut in *Champ*. A quo si quis distinguere velit *Chant*, quod cantum seu canticum declarat, tanto expressiorem (discriminādi causa) dat sonum finalibus huius nominis literis, quanto minus finalem illius nominis *Champ* literam conceditur exprimere. Et tamen in *Camp*, non itidem omnino mutam esse illam finalem literam permittimus.

De consonante Q.

SVNT è Latino sermone sumpta omnia fere vocabula quibus hæc consonans adhibetur: ac certè quem in illo sermone, eundem in hoc vsum præstat. Sed & quædam per *Q* scribuntur quæ etiam per *C* scribi possent. vt pro *Queux* (id est coquus) scribi posset *Cùeux*. Atq; adeo nonnulla quæ sunt è Latino vocabulo litera *C* scripto, nos per *Qu* scribere solemus. vt *Queue*. est enim à nomine *Cauda*.

De consonante R.

HANC nos non aliter quàm Græcos suam ρ pronuntiare, vel ex vocula γ̃ coniicio: si quidem rectè

rectè hîc consonantem istam proferimus. Nam inter γS Græcam & nostram *Car*, nullum soni discrimen, nisi in primis literis, ponimus. Sed nec Latinam huius consonantis pronuntiationem esse aliam puto: vt quidem moris est nobis Latina vocabula pronuntiare. Nam in Gallico *Parens* nõ secus proferimus *r*, quàm in Parentes. Sic etiam in nomine *Terre*, vbi geminatur, talem damus illi sonum qualem in Terra.

Vulgus (Parisiorum præsertim & vicinarum vrbium) pro hac litera, in multis vocabulis pronuntiat *ſ*, siue *z*. Dicit enim *Maſi* siue *Mazi*, & *Peze*, *Meze*, pro *Mari*, & *Pere*, *Mere*. Quam linguæ titubationem mihi nouam videri non sinunt quæ de priscis Latinis legimus, eos Fusius & Valesius pro Furius & Valerius dixisse. Sed mirum hoc potius est, idem vulgus viciſſim in aliis vocabulis *r* pro *ſ* sonare. veluti in *Courin*, *La rairon*, *La ſairon:* pro *Couſin*, *La raiſon*, *La ſaiſon*. In illo autem *Sairon* pro hoc *Saiſon*, siue *Saizon*, videtur contingere vt lingua errans verum dicat. Nam quum nostra voce *Saiſon* Græcam καιρὸν repræsentare velimus, (quod certè Latini tam apto facere vocabulo non possunt) illi καιρὸν vicinius esse *Sairon*, quàm *Saiſon*, fatendum est. Iam verò & in nomine *Caraque*, vulgi γλῶσσα ἁμαρτάνουσα τἀληθὲς seu τὸ ὀρθὸν λέγει. nam *Caſaque*, quo vtuntur qui è vulgo non sunt, nequaquam tam bene cum veteri appellatione, quàm illud alterum, consentit.

Hanc literam in fine vocabulorum ita præ-

termittit idem vulgus, vt tu, nisi prænonitus, multa eam habere non sis animaduersurus, quibus tamen adiunctam esse constat. Dicit enim, *Plaisi, Mestié, Papié, Resueu:* pro *Plaisir, Mestier, Papier, Resueur.* Eodémque in infinitiuis peccat modo, quum verbum in *r* desinens à consonante excipitur. vt, *Il faut parle bas,* pro *Il faut parler bas.* Sic, *Il faut disne de bonne heure,* vel, *Il faut soupe de bonne heure:* pro *Disner* & *Soupper.* Atque adeo hunc vulgi errorem sequentes ij etiam qui in vulgo minimè sunt numerandi, proferunt, *Apres disné, Apres souppé,* pro *Apres disner, Apres soupper.* Nam dicitur *Apres soupper,* sicut *Apres boire,* vsurpando infinitiuum more Græco: vt si dicas μετὰ τὸ δειπνεῖν. Sic, *Le disné,* & *Le souppé, Nostre disné,* & *Nostre souppé,* malè absque *r.* Itidémque *Nostre mange,* pro *manger.* vt appareat ex adiuncto *Boire.* Dicitur enim *Son boire & son manger.* vt, *On luy fournit son boire & son manger:* hîc quoque infinitiuis vice nominum fungentibus, more Græco. Ita enim dicunt τὸ πιεῖν καὶ τὸ φαγεῖν.

Sedenim hoc fatebor, quum duo vocabula in *r* desinentia, sunt contigua, aut saltem valde vicina, tum in alterutro, & quidem in priore potius, nullum aut perexiguum dari sonum huic literæ. vt, *Il faut aller disner chez luy.* Potius enim *alle* pronuntiatur quàm *aller.* Sic, *Il faut alle chercher nostre homme,* potius quàm *aller chercher.*

De consonante s.

SICVT in Latinæ linguæ pronuntiatione (qua-

(qualem quidem vulgò vſurpamus) duobus modis hanc conſonantem proferimus: ita etiam in noſtræ. Nam quum dicimus, *Sage, Sentir, Simple, Sobre:* item in his, *Il penſa, Il recompenſa, Il preſſa,* ita ſonamus vltimam ſyllabam vt in Latinis, Sapiens, Sentire, Simplex, Sobrius: item in Penſauit, Compenſauit, Preſſauit: ex quibus illa facta ſunt. Et in *Accuſa, Recuſa,* non aliter proferimus *ſa* quàm quum dicimus Accuſauit, Recuſauit. Sed an recta ſit hæc pronuntiatio, in dubium vocari poteſt: præſertim quum etiam pro Cauſa, in quo ſyllabam s A eodem quo illic modo ſonamus, videamus eſſe qui contendant ſcribendum Cauſſa. Verùm ex his diſces ſaltem qualis noſtra ſit in illis vocibus Gallicis pronuntiatio, aliiſque eiuſmodi, etiamſi è Latino ſermone, ſicut illæ, minimè ſint ortæ: aut ſaltem nequaquam ex vocabulis ortæ quæ hanc ipſam literam habeant. Nam in infinitiuis *Peſer, Raſer,* (quod eſt à Latino quidem verbo, ſed non eandem habente literam: quum ſit à Radere) non aliter proferimus *ſ* quàm in *Accuſer, Recuſer:* perinde nimirum acſi litera *z* hæc ſcriberentur. Qua de re vide & patris mei admonitionem: cui hoc etiam addo, vt diligenter caueas ne pronuntiationem huius literæ, vbi ſimplex ponitur, confundas cum pronuntiatione vocabuli in quo duplicatur. Magni enim, ob valde diuerſam ſignificationem, naſci hinc errores poſſunt. Exempli gratia, ſi in *Poiſſon,* quod Piſcem ſignificat, non ſatis hãc literæ *ſſ* duplicationem ſono

tuo exprimas, incides in *Poiſon*, quod toxicum ſignificat. Et viciſſim exprimendo duplicem vbi ſimplex eſt exprimenda, pro voce *Choſes*, quæ Res ſignificat, vti videberis voce quæ Caligas declarat. ea enim eſt *Chauſſes:* in qua *au* propemodum literæ *o* ſonum accipit: quod facit vt aures facilius hanc vocem pro illa accipiant, ſi litera *ſ* in pronuntiatione non geminetur.

Hæc litera quamplurimis in locis minimè ſonatur, ſed originem ſimúlque productionem declarat. Ac interdum quidem *ſ* ſimplex, ſequente *t*, vel alia conſonante: interdum duplex, (& tum muta non eſt) ſequente vocali, ponitur. Exempla ſunt, *Peſche*, id eſt Piſcatur. hîc enim prior producitur, quum in *Peche*, quo ſignificatur Peccat, breuietur. Sic *Maſle*, pro maſculo, priore longa: quum breuis ſit in *Male*, quo peram ſignificamus. Sic *Ieuſne*, id eſt Ieiunium, priore producta, quæ breuis eſt in *Ieune*, id eſt Iuuenis. Ad *ſſ* autem quod attinet, multa huius productionis (abſq; obmuteſcentia) exẽpla ſuppeditant verba in *aſſe* deſinẽtia. Præſertim verò in *ſt* eam productionẽ cum obmuteſcẽtia audimus. vt in *Maiſtre, Paiſtre*. Sic *Maſtin*, de cane villatico. Ac tum potiſſimum apparet productio quum ei opponitur *Matin*, id eſt Mane. (quemadmodum paulo ante talium oppoſitionum exempla propoſui.) Quinetiam accidit interdum vt vox duplici *t* ſcripta breuem ſonum habeat, quum ea quam literis *ſt* ſcribimus, ſit longa. vt videmus in *Hotte*, qua voce corbẽ meſſoriam intelligimus: & in *Hoſte*, qua Hoſpitem.

Iam verò & in monoſyllabis productionem quandam efficit: vt in *Paiſt*, id eſt Paſcit. Præſertim verò apparet hæc productio in monoſyllabis quæ ſibi opponuntur: id eſt, quorum vnum litera *t* ſola ſcribitur, alterum literis *ſt*, ab iis quidem certè qui rectè ſcribunt. vt, *Alors il vint, & veit, & dit, & fit:* id eſt, Tum venit, vidítque, ac dixit, & fecit. At verò aſſumpta litera *ſ*, productionis ergô, *Aſin qu'il vinſt, & qu'il veiſt, & qu'il diſt, & qu'il fiſt.* id eſt, Vt veniret, viderétque, & diceret, ac faceret.

Hæc litera interdum in verbo non ſonatur, contrà in verbali. Nam in *Monſtre, Monſtrer, Demonſtre, Demonſtrer*, nullum ei ſonum damus: contrà in *Demonſtration.* Sed animaduertendum eſt, hoc potius in verbali quod formam Latinam habet, quàm in alio, vſuuenire. Nam (exempli gratia) ſicut in *Remonſtrer* nullus auditur literæ huius ſonus, ita nec in verbali *Remonſtrance:* quod vt Latinam formam haberet qualem illud *Demonſtration*, dicendum eſſet *Remonſtration.* verùm in vſu non eſt. Iam verò & quũ in *Monſtre* planè muta ſit litera *ſ* (quum dicitur *La monſtre*) contrà in *Monſtre*, quum Monſtrum ſignificatur, apertiſſimum ſonum edit.

Hoc quoque iſta de litera eſt addendum, ei in fine quorundam vocabulorum planè idem quod Græco *σίγμαι* vſuuenire: nimirum vt interdum addatur, interdum omittatur: ante vocalem quidem adiiciatur, ante conſonantem verò prætermittatur. Atq; adeo in quadam etiam

voce hoc contingit quæ idem significat quod Græcæ quibus hoc vsuuenit. Nam ἄχρι & μέχρι idem valent quod nostrum *Iusque*, (quod ex Vsque est factum) atque vt ἄχρι vel μέχρι ante consonantem, ita etiam *Iusque*: vt ἄχρις vel μέχρις ante vocalem, ita etiam *Iusques*. Eodémque modo & *Encore* & *Encores* dicimus.

De consonante T.

HAC de litera quædam à me dicta fuerunt vbi egi de litera D. Illius certè sonum ab huius sono minimè distingui posse constat in multis locis: veluti quum dicitur *Craind*, vel *Craint*. & tamen rectam sequendo scribendi rationem, *Craind* debet scribi pro Formidat: (nam infinitiuus est *Craindre*) at *Craint* in participio, pro Formidatus: cuius fœmininum est *Crainte*, Formidata. Qua voce formidinem quoque significamus. Sed enim in fine quorundam vocabulorum post vocalem apertissimum sonum edit: veluti in *Trot*: præsertim quum timemus ne videamur pronuntiare *Trop*.

Quemadmodum autem Latini (prisci saltem) literam *d* inserebant plerunque inter duas vocales, ne hiulca esset oratio, (vt videre est in Mederga, atque adeo in nonnullis verbis quibus & posteri eorum sunt vsi: quorum è numero est Redintegro) ita etiam à Gallis interponi literam *t* sciendum est, sed in pronuntiatione potius quàm in scriptura. Multi enim pronuntiãt, in interrogatione, *Aimet-il? Donnet-il?* vel, *Aimet-elle? Donnet-elle?* quanuis hæc litera *t* cum articulo

articulo potius quàm cum verbo iungi videatur. Sic *At-il? Vat-il?* Atque adeo quibusdam in locis adscribere literam *t*, moris etiam est, non tantùm ante illa pronomina, verùm & alibi: præsertim verò in *At* & *Vat*. vt *Il at ouy*: & *Il vat où i'ay dict*.

De consonante x.

IN huius consonantis pronuntiatione peccatur (vt præmonitus caueas) tribus modis. Nam quum proferri debeat vt *cs*, quidam potius vt *gs* pronuntiant, præsertim in principio vocabulorum. Quidam enim (exempli gratia) ita pronuntiant *Xenophon*, vt potius *Gsenophon* quàm *Csenophon* audias. At verò *Exemple*, & *Exercer*, nonnulli ita efferunt, vt potius *Ezemple* & *Ezercer*, quàm *Ecsemple* & *Ecsercer*, ad aures tuas perueniat. Tertium peccatum ab Italis est oriundum, qui pro hac litera *x*, geminum *s* pronuntiare solent. Sunt enim qui, vt illi *Alessandro* pro Alexandro, & *Massima* pro Maxima dicũt, ita etiam *Alessandre* & *Massime*, potius quàm *Alexandre & Maxime*, sonant. In quibusdam autem vocabulis, è Latino sermone sumptis, hæc litera *x* quæ est in Latina voce, non solùm pronuntiationem, sed scripturam etiam literarum *ss* accipit. Nam pro Lixiuium scribimus *Lessiue*: & *Issir*, quasi *Essir*, pro *Exir*, à verbo Exire. Itidémque *Aissieu* vel *Essieu*, pro Axis. Quidam verò & *Aisseul*. Alicubi autem pro *x* vnicum *s* pronuntiant nonnulli, quum alij literæ *x* sonum retineant. Nam pro Excusare, alij *Escuser*,

alij (& melius illi quidem) *Excuſer* proferunt. At verò quum pronuntiatur vox à nomine Exceſſus deriuata, audiri videtur *c* pro *x*. haud enim aliter ſonat quàm ſi *Eccès* ſcriberetur. Verùm & in Latina voce Exceſſus eundem fere ſonum literæ *x* dare cogimur: id eſt, ita eius ſonum enerruare atque infringere.

In fine vocabulorum non aliter pronuntiatur quàm ſi *ſ* ſcripta eſſet: multis tamen in locis, diſcriminis ponendi cauſa, illa potius quàm hac litera vtimur. Nam ſi *Pais* ſcribas, non minus hæc ſcriptura conueniet vocabulo ſignificanti *Pais*, id eſt Paſcis, necnon ei quo ſignificatur Regio, vel Patria: quàm ei quo Pax à nobis declaratur. Scribitur itaque *Paix*. Nec verò ſi Duo ſignificare volens, ſcribas *Deus*, aliquis (præſertim qui linguæ non valde ſit peritus) minus legat vocem Latinam pro qua dicimus *Dieu*, quàm Gallicam quæ nobis ſonat Duo. Quinetiam veriſimile eſt, vocem illam *Paix*, quod à nomine Pax, deſinente itidem in *x*, orta eſſet, hanc literam retinuiſſe: ac vocem illam, & ſiqua præterea eſt de qua dici idem poſſit, occaſionem alias quoque eodem ſcribendi modo præbuiſſe. Vide tamen & eam quæ à patre meo affertur rationem, in Grammatice huic libello ſubiuncta: ſimúlq; ea diligenter lege quæ ibi de reliquis duabus conſonantibus ab eo ſcribuntur: illis addens tamen quæ ſuprà de Y à me fuerunt dicta.

ADIE-

ADIECTIO AD EA QVAE DE SYLLABARVM QVANTITATE SPARSIM DICTA IN PRAECEDENTIBUS FUERUNT.

QVANVIS iam antea, quum de vocalibus tractarem, syllabicæ multarum vocum quantitatis mentionem obiter fecerim: tamen ex professo quoque, breuiter tamen, de hac agendum esse putaui: præsertim quum alios eam non solùm prætermisisse, sed etiam ignorasse, plerosq; verò ne cogitasse quidem de ea videam. Ac ne à me quidem fortasse cognosci potuisset, nisi quædam vocabula inter se opposuissem, deinde horum tanquam vestigia sequens, cæterorum pronuntiationem indagassem. Quum enim nomina *Ieune* & *Ieusne* (id est Iuuenis & Ieiunium) item *Matin* & *Mastin* (id est Mane & Canis villaticus) quum verba *Pecher* & *Pescher* (id est Peccare & Piscari) inter se opposuissem, idémque in aliis tam nominibus quàm verbis feciſſem: & ex istis ea quæ insertam literam *s* habent, produci, quæ non habent, corripi, apertè cognouissem: tandem absque oppositione etiam, quantitatem aliarum præterea multarum syllabarum animaduerti. Sed quoniam quæ à me in præcedentibus dicta fuerunt, repetere non statui, ad ea tè remittens, alia nonnulla productionis vel correptionis exempla proponam, simúlque de his dignoscendis differam.

Primùm igitur sicut de hac terminatione *asse*

dixi antea, literam *a* tunc potissimum in ea produci quum hæ syllabæ optatiuum modum claudunt: veluti quum dicitur *Aimasse*, *Portasse*, *Louasse*, *Changeasse*: sic etiam de aliis coniugationibus dici potest: id est, de iis earum locis in quibus alia litera vel quæpiam diphthongus has literas præcedit: nimirum hanc siue literam siue diphthongum planè produci: vt *Disse*, *Fisse*, *Misse*, *Eusse*, *Beusse*, *Leusse*. Verùm & alibi quàm ante has literas, productionem illam esse sciendum est. Siquidem in his quoque *Dimes*, *Fimes*, *Mimes*, & *Eumes*, *Beumes*, *Leumes*, (quibus omnibus quidam literam *s* inserunt, *Dismes*, *Fismes*, &c.) priorem esse longam constat. Ac certè ad verbum *Dimes* quod attinet, ad cuius formam cætera etiam efferũtur, productionis eius causa in promptu est. nam per syncopen ex *Dismes* factum esse constat, qui pluralis habet primam singularis personam, *Dis*. Dictum enim olim fuit; *Ie dis*, pro *Ie di*, id est dixi. Ac certè accidit in hoc verbo quod non item in cæteris illis quæ proposui. Nam dicitur *Vous dites*, tam in præsenti, pro Dicis: quàm in præterito, pro Dixisti. Atque hîc vel maximè productio obseruatur, non in præsenti, sed in præterito. Contrà enim in præsenti corripi potius dicendum est. Sic autem & in reliquis *i* longum habemus, in *Fites*, *Mites*, &c. verùm non itidem his accidit vt eadem præteriti quæ & præsentis vox sit.

Sed & in monosyllabis personis aperta est (vt antea attigi) productio: & quidem differentiæ causa

cáusa, & ipsa. Nam vt breuem sonum in hisce audis, *Il dit, Il fit, Il mit, Il eut, Il beut, Il leut:* id est, Dixit, Fecit, Posuit, Habuit, Bibit, Legit: ita audis longum hîc, *Afin qu'il dist*, vel *Combien qu'il dist, Fist, Mist, Eust, Beust, Leust:* id est, Vt diceret, Faceret, &c. Idem de his quoque dicendum est, *Il vint, Il tint:* & *Afin qu'il vinst, qu'il tinst.* Posset autem & scripturæ diuersitas lectorem diuersæ quantitatis admonere: sed à plerisque eodem vtraque modo scribuntur.

In præsenti etiam quædam, licet monosyllaba, quandam præ aliis productionem poscunt: & in his quoque ab iis qui rectè scribunt, litera *s* ponitur. Nam *Tait, Fait, Rait*, & alia huiusmodi, absque *s* scribunt: at verò *Paist*, cuius longus est sonus, vt illorum breuis, (id est Pascit) cum *s*. Sed & *Plaist*, id est Placet, eadem scriptura pariter & quantitate, vt differat à nomine *Plaid*, à quo verbum *Plaider*.

Quod autem in illo verbo *Paist* videmus, nimirum quantitatem origini respondere, idem & in aliis multis videre poterimus, si obseruare libeat. Idē verò & in nominibus. nā *Fluste, Cruste, Lutte*, quæ priore producta efferuntur, sunt à Fistula, Crusta, Lucta. Quāuis enim in *Lutte* (pro quo quidam in *Luite*) minus producatur litera *u* quā in duobus præcedētibus, nō tamen ita corripitur vt in *Bute*, siue *Butte*, quod scopū significat.

Iam verò & hoc sciendū est, quanuis nonnulla sint quæ aliis opposita, præ illis breuia sunt: tamen quædam his etiam paulo breuiora repe-

riri. Exempli gratia, quanuis dixerim, *Male*, quod peram significat, habere priorem breuem, at *Male* quod masculum declarat, (pro quo scribunt plerique *Masle*) longam: tamen *Male*, quo Mala (fœmininum à Malus) significatur, paulo etiam breuius esse videtur. Atque hoc ex oppositione ista cognosci potest, *Mettre en la male grace*, id est, (ad verbum) Ponere in mala gratia: *Mettre en la male grasse*, id est, Ponere in pera pingui. Breuius enim illud *Male*, quod malam significat, quàm hoc quod peram, pronuntiatur.

Quanuis porro multæ voces, vt eiusdē formæ ac scripturæ sunt, eiusdem quoq; sint quantitatis, tamen hoc perpetuum non est. Nam in *Nostre* & *Vostre*, potius breue quàm longum est *o:* contrà verò in *Apostre*, potius longum quàm breue.

Hoc vnum adiiciam, fuisse olim multis hanc consuetudinem (cuius obiter mentionem suprà quoque feci) vt in quibusdam syllabis quæ apertam & maiorem etiam quàm aliæ productionem haberent, vocalem geminarent. Cuius rei admonitus, nequaquā vtriq; vocali sonū dabis, sed vnicam producto sono pronuntiabis. Exempla sunt, *Baailler*, id est Hiare, vel Oscitare: item nomen *Seel*, & verbum ex eo factum *Seeller*, id est Obsignare. Sic *Aage*, quod est AEtas. Item *Roole*, Catalogus. Atque alicubi quidem, discriminis etiam causa vsurpata fuit hæc scriptura (vt in verbo *Baailler*, vt distingueretur à *Bailler*,

quod

quod est Dare, Præbere: sic in nomine *Seel*, vt distingueretur à *Sel*, significante Salem) sed alicubi etiam vbi discrimen ponendum non erat: vt in *Aage*,& in *Roole*. Pro quo *Roole* dicitur etiam *Roule*.

DE LITERIS QVAE INTERDVM NON PRONVNTIANTUR, atque ideo mutæ vocari possunt.

LITERIS multis interdum contingit vt nullum sonum edant: quum ab eo qui pronuntiat, tanquam superuacaneæ, prætereantur. Ideóque mutæ non malè appellatæ fuerunt. Sed huius obmutescentiæ (vt ita dicam) duo sunt genera. Nonnullorum enim vocabulorum ea est natura vt quædam literæ in ipsis obmutescant: in aliis verò per accidens potius obmutescere dicendæ sunt. Prioris generis sunt ista, *Noſtre, Voſtre, Apoſtre: Monſtrer, Oſter, Preſter, Arreſter*. his enim vocibus velut naturale est vt nullum in ipsis sonum litera *ſ* edat. Posterioris autem generis quædam habes in ista oratione, *Puiſqu'il t'a pleu tant faire pour nous & les noſtres, nous ſommes tous tenus de prier Dieu pour ta proſperité*. Hîc enim in *tant* mutum est *t* finale: itidemque in *et*. pronuntiatur enim *e* duntaxat, non *et*: sicut *tan*, non *tant*. Sic litera *ſ* muta est in *nous*,& in *ſommes*,& in *tous*. pronuntiatur enim, *nou ſomme tou tenus*, &c. Obserua porro me non dicere, mutam esse itidem literam *ſ* in eodem prono-

mine *nous*, quod priore loco positum est. Ideo autem muta non est, sed pronuntiatur, quia sequitur vocalis, non consonans. Quinetiam in *tenus* mutam esse literam *s* non dixi: quia pleriq; eorum qui rectè pronuntiant, solent postquam in fine aliquot vocabulorum quæ cõtigua sunt, huius consonantis vel alîus sonum prætermiserunt, eam quæ in vltimo est (id est illis proximo) non itidem sono suo priuare. Scio alioqui esse qui ne in illa quidem voce *tenus* finalem literam pronuntiarent. Quinetiam non deesse scio qui hoc in loco, *Puisqu'il t'a pleu*, nullum literæ *l* sonum darent in particula *il*: sed pronuntiarent, *Puisqu'i t'a pleu*: verùm hæc ab imperito profecta vulgo pronuntiatio, planè est explodenda: quippe quæ reprehensione multo etiam sit dignior quàm altera illa eorum qui in illo *tenus* mutam *s* faciunt.

VERÙM antequam de hoc posteriori genere literarum obmutescentium fusius differam, de priori (id est, de altero cuius exemplo priorem locum dedi) quæ dicenda præterea vídentur addam. Primum autem istud erit, non eandem hîc quæ illic esse controuersiam. Nam (vt potes ex iis quæ modò dixi cognoscere) literæ quæ per accidens obmutescunt, in multo pluribus locis hoc patiuntur, quũ in certos quosdã pronuntiatores incidunt, quàm quũ in alios: at verò quæ à natura istud habẽt, apud ipsum vulgus nõ magis (aut certè nõ multo magis) quàm apud cæteros, obmutescũt. Ac de istis sciendum hoc quoq; est,

earum

rum alias obmutescere, & nulli præterquam ad declarandam vocum originem, vsui esse. (neque enim si *Notre, Votre, Montrer*, scribatur absque *s*, alium illis sonum dare possis quàm das quum legis *Nostre, Vostre, Monstrer*) alias verò ita obmutescere, vt interim aliquem pronuntiationi vsum præstent. Cuius rei euidentia in iis exempla habemus quæ oppositam quantitatem habent: vt *Matin* pro Mane, & *Matin* pro cane villatico: itidémque *Jeune* pro Iuuene, & *Ieune* pro ieiunio. Qui enim scriptum inueniet *Matin*, non *Mastin*, pro cane villatico, continget fortasse vt perinde pronuntiet acsi Mane significaret: itidémque si pro Ieiunio scriptum sit *Ieune*, non *Ieusne*, pronuntiationem ei dabit fortasse quæ alteri significationi conuenit. Idémque de *Pecher* & *Pescher* sentiendum est: quorum prius, Peccare, posterius, Piscari significat.

Neque tamen in iis tantùm vocabulis quæ alia tam apertè sibi opposita habent, sed & in quamplurimis præterea quæ vel nullam vel non tam obuiam oppositionem habent, hæc productio manifesta est. id est, hanc consonantem *s* (sicut aliam alibi) productionem indicare pronuntianti est manifestum. Exempla sunt, *Mesme, Blesme, Cresme*: item, *Beste, Creste, Feste*: item, *Pasmer, Gaster, Haster*. Nam si *Meme* scribatur absque *s*, nescias an hîc potius quàm in Latina voce Meme (in qua pronomen Me geminatur) producenda sit prior syllaba: etiamsi alioqui non eandem quam illic esse vocalis *e* pronun-

tiationem non ignores. Sic etiam, quum beſtiam ſignificare volens, ſcribes, non *Beſte*, ſed *Bete*, nonne fieri poterit vt aliquis (prout in talem vel talem locum incidet) Betam, non Beſtiam, legere ſe exiſtimet? Nos enim Betæ etiam nomen retinuimus, vocantes *Bete*, & interdum pluraliter, *Des betes*. Ac certè ſimilis omnino error alicui accidere poterit ſi pro capite ſcribatur *Tete*, non *Teſte:* quum *Tete*, quoque, Gallica ſit vox pro mamma.

Sed fateor, multis etiam in locis nec ſonum vllum edi, nec vllam productionem, ſed tantùm originem oſtendi ab aliqua ex literis quæ obmuteſcere dicuntur. Quum enim ſcribis *Soulci*, quod Solicitudinem ſignificat, conſonantem *l* minimè pronuntias, nec verò ob eam longiorem ſonum illi ſyllabæ tribuis: ſed tãtummodo eius ortum oſtendis. Atque idèm cum de aliis multis vocabulis, tum verò de *Compte* dici poteſt. nam (quod ad pronuntiationem attinet) perinde omnino eſt acſi *Comte* abſque litera *p* ſcriberes. vt ſcribitur quum Comitem ſignificamus: quæ eſt recens appellatio dignitatis cuiuſdam vltra eos qui ſimpliciter nobiles ſunt. In exemplum autem afferrem & verbum *Eſcripre*, & quædam alia huiuſmodi, niſi iampridem explosa hæc ſcriptura eſſet. Ac meritò certè: quum neque de hac, neque de alia vulgari quarundam vocum ſcriptura idem quod de illis *Soulci* & *Compte* dicere poſſimus: nimirum characteriſticas (vt ita loquar) originis literas in ea retineri.

Sed

Sed nec ponendæ sunt illæ quæ licet characteristicæ dici possint, si origo sit declaranda, tamen ab ipsis etiam Latinis prætermissæ fuerunt. Cuius rei exemplum habemus in Omittere. Scimus enim, ex Ob & Mittere verbum istud esse compositum: sed Latinos tamen Omittere scripsisse, & quidem etiam corripuisse primam huius verbi syllabam. Sed quanuis hoc ita sit, inuenies qui quandam παραδοτον scripturam sequentes, non aliter scribant quàm *Obmettre*.

Iam verò & multæ ex iis scripturis in quibus triũ est consonantiũ cõcursus, in desuetudinem abeũt: magis etiã in qui. best quatuor: vt in *Presbtre*. Quanuis enim *b* ab ipso vocabuli ortu proficiscatur, & omitti nullo modo possit in *Presbytere* (id est Presbyterium) tamen scribitur potius *Prestre*, absque illa consonante.

Quinetiam sunt nonnulli ex iis quoque qui alioqui minimè reiiciendas omnes literas censent, quæ mutæ quidem sed originis. sunt indices: sunt inquam, ex iis quoque nonnulli qui illas iis adhibere vocabulis nolint quorum origo absque illis etiam manifesta esse potest. Cuiusmodi sunt, *Tems* & *Cors*. ita enim scripta hæc, non autem cum *p*, *Temps* & *Corps*, nihilo minus esse ex Tempus & Corpus orta, nemo est qui non possit statim animaduertere. Verùm, quanuis hac de re ab illis non valde dissentiam; tamen quædam esse vocabula dico, in quibus quod putamus maiores nostros originis tantùm declarandæ causa feciisse, etiam ad consti-

tuendum discrimen fecerint. Ac, ne longè abeamus, non dubito quin scribentes *Corps*, cum *p*, simul etiam à *Cors* distinguere voluerint: qua voce vtebantur pro nostra *Cornet*. Atque adeò ab illo *Cors* mansit nobis illud loquendi genus, *A cors & à cri*.

VERÙM eam nobis proponamus orthographiam (ita enim & hanc scribendi rationem vocare non dubitabo, licet à plerisque improbetur) quæ præ quauis alia superuacaneas literas, vtpote mutas, habeat: quid in ea peregrinus aget? Videat quæ commodè pronuntiari non possunt, & has prætermittat: rarò certè continget vt à recta pronuntiatione aberret. Quoniam tamen non idem omnium esse hac de re iudicium potest, quum etiam aliquis sonus qui nationi vni durissimus videtur, alteri minimè durus videri possit (vt Germanis concursui multarum consonantium suo in sermone assuetis, multa in pronuntiatione aures non offenderent, quibus nostræ offenderentur) aliam cognoscendæ eius rei faciliorem rationem ostendam, addens quomodo incommodam pronuntiationem à commoda possis discernere. Vbi igitur quatuor simul consonantes inuenies, ne dubites quin vna saltem muta esse debeat. Atque adeo duas etiam plerunque in tali scriptura obmutescere scito: vt in *Prebstre*. Quinetiam vbi tres tantùm consonantes occurrent simul, id est, contiguæ, memineris in iis plerunque locis vnam obmutescere: & quidem vel *s*, vel *t*, vel *p*, vel *c*,

vel

vel *d*, frequentius quàm aliarum vllam. *S* quidem (cui primum dedi locum quòd omnium frequentissimè obmutescat) vt in *Lasche, Masche, Fasche:* in *Nostre, Vostre, Estre, Cognoistre, Maistre, Paistre, Empestrer.* item in plerisque verbis quibus particula *Des* per compositionem præfigitur: vt in *Desborder, Desbaucher,* & *Desbauche, Descharger, Desployer, Destourner.* *T*, autem, vt in *Ments* (id est Mentiris) *Presents, Absents,* id est, Præsentes, Absentes. Item in *Forts,* (id est fortes) *Ports,* (id est portus) *Morts,* (id est mortui) *Ouuerts, Couuerts.* *P*, vt in *Temps, Corps, Compte, Escripts.* *C*, vt in *Sainct, Feinct, Teinct, Poinct.* *D*, vt in *Dards, Accords, Mords.* Obserua autem hoc postremum *Mords* habere literam *d:* quum paulo antè scriptum fuerit *Morts*, litera *t:* obmutescente illic litera *t*, vt hîc muta est *d.* Vtrobique autem discriminis etiam causa adiicitur consonans: nimirum vt ambo distinguantur à *Mors,* quod est Morsus: & *Il a mors,* pro Momordit. Quanuis & *Mords,* de freno equi, à mordendo sit dictum. Quod autem hîc, in aliis quoque multis fieri existimandum est (vt suprà quoque monui) nimirum literas mutas discriminis quoque causa plerunque poni. In talibus verò præsertim locis omitti consonans, quanuis obmutescens, non solet: quæ alioqui plerunque prætermittitur, vt certè non *Escripts,* plerique sed *Escrits* scribunt: quemadmodum etiam *Tems* & *Corps* à multis absque *p* scribi dixi.

Sedenim obmutescere etiam interdum consonantem quampiam sciendum est, quanuis vnicam duntaxat adiunctam habeat: minus tamen frequenter. Nulla certè est cui intra ipsum vocabulum frequentius hoc accidat, quàm literæ *s*. Nam sæpe ante *l* obmutescit. vt in *Mesle, Gresle, Fresle, Masle*. Sæpe etiam ante literam *t*: vt in *Prester, Appreſter, Arreſter, Gaſter, Taſter, Gouſter, Oſter, Appaſter:* & in nominibus, vt *Paſte, Haſte, Teſte, Beſte, Tempeſte*.

In horum enim vnoquoque litera *s* obmutescit, sed ita vt interim vocalem proximè præcedentem producat, aut saltem originem vocabuli indicet: in plerisque certè vtrumque vsum præstet. Sunt tamen alioqui & nomina & verba in quibus hæc litera eidem literæ *t* præfixa, sonum suum retinet. vt, *Peſte, Celeſte, Moleſte, Reſte: Reſter, Moleſter, Conteſter, Proteſter, Deſiſter*, & quæ eiusdem familiæ sunt, *Perſiſter, Aſſiſter, Reſiſter, Conſiſter, Obſiſter*. In his enim omnibus compositis pariter non minus sonum literæ *s* retinemus quàm in Latinis, Desistere, Persistere, Assistere, Resistere, Consistere, Obsistere.

Verùm nationes quædam literam istam proferunt in nonnullis etiam in quibus purior sermo eam sono priuat. Exempli gratia, in *Appreſter*, sonum quorũdam in ore edit litera *s*, quem nec Parisiis, nec in aliis vicinis vrbibus audias. Atque adeo sunt qui in *Honeſte* & *Honeſteté* hãc nolint literam obmutescere, quæ in illis vrbibus muta hîc est. Eodémque modo (vt de hoc quoq;

obiter

obiter moneam)sunt qui *Honneste* & *Honnesteté* duplici *n* pronuntient, non minus quàm *Honneur*, quum tamen ex plerisque vnicum in illis vocabulis audias.

Hoc quoque animaduertendumest, nonnulla esse in quibus pro diuersa significatione litera *s* vel aliquem vel nullum sonum edat. Nam quum dicis *Accoster quelcun*(quod verbum ab Italico sermone manauit)pronuntias:quum verò *Accoter vn pot* (ex quibus compositum nomen *Accotepot*,quod, sicut & ferreum instrumentum eo significatum, Parisiis potissimum in vsu est) nullum ei sonum tribuis. Sedenim ex vocabulis etiam quæ eiusdem familiæ sunt, nonnulla sonum huius literæ seruasse comperies, quum cætera amiserint. Nam vt omittam *Demonstrer* & *Demonstration* (in quorum priori non auditur litera *s*, at in posteriori contrà) quum dicis, *Beste* & *Bestise* & *Bestail*, non pronuncias *s*: at quum pro *Du bestail* (quod antiquius & purioris sermonis esse existimo)dicis *Du bestial* (pro quo nonnulli scribũt *Bestiail*)vel dicis,*Cela est bestial*, (q.d.Hoc est bestiale,id est,naturæ bestiæ potius quàm hominis conuenit) tum verò os tuum literam hanc otiosam esse non sinit.Sic etiam dicis *Tempeste*,& *Tempester*,obmutescente litera *s*: quæ tamen in *Tempestatif* muta esse non vult. Dicis *Paistre* & *Pasture*,nullum huic literæ dans sonum, quum tamen dare cogaris in *Pasteur*: (pro quo nationes quædam dicunt *Pastre*, & ipsæ sonum dantes huic literæ) & in *Pastoral*.

Denique in *Baſton* tacet *ſ*, at non in *Baſtonade*. tacet in *Teſte*, at non in deriuato verbo *Teſtonner*. Rationem autem huius rei inueniſſe me arbitror. hoc enim ex eo cõtigiſſe exiſtimo quòd iſta quæ ſonum literæ *ſ* retinent, multo ſint alii poſteriora, & tum demum vſurpari cœperint quũ longus iã vſus literam illã in aliis velut attriuiſſet, vel potius extriuiſſet. Multo eſſe poſteriora, *Demonſtration*, quàm *Demonſtrer*, *Beſtial* & *Beſtialité* quàm *Beſte*, *Tempeſtatif*, quàm *Tempeſte*, ex eo apparet quòd vulgus *Demonſtrer*, *Beſte*, *Tempeſte*, at illa non item intelligit: præſertim verò *Demonſtration* & *Beſtial* vel *Beſtialité*. Nam voce *Tempeſtatif* vulgus quoque alicubi, ac præſertim Pariſiis, vtitur: licet quin & ipſa multo pòſt in vſum venerit, nulla dubitatio relinquatur. At verò *Paſteur* vulgo, & ipſum ignotum fuiſſe, ex eo mihi perſuadeo, quòd *Paſtoureau* quod hodie quoque in aliquo vſu eſt, maiores noſtros dixiſſe ſciam: obmuteſcente (vt credibile eſt) quemadmodum & hodie, litera *ſ*. Quòd ſi *Paſteur*, vulgo ignotum, multo certè magis *Paſtoral* fuiſſe putandum eſt. Multo autem magis *Baſtonade* (in quo ſonum edit litera *ſ*, quum nullum edat in *Baſton*) incognitam vulgo fuiſſe vocem credibile eſt, vel potius certum eſt: quũ hodieque ab illo, niſi ex coniectura, non intelligatur: parũ quidem certè illi in vſu ſit, vtpote Italicam formam habens, ſicut etiam ex Italico ſermone manauit.

Litera huic proxima *T*, obmuteſcit & ipſa non

non rarò, etiam vbi vnicam consonantem adiunctam habet. Ea autem sæpenumero est *s*: vt in *Mets, Promets*: in *Hauts, Cauts* (id est Cauti) in *Faits, Perfaits*: in *Dits*. Sed nonnulli cum *c* etiam scribunt, *Faicts, Dicts*, non rectè illi quidem, vt antea monui.

INter cæteras autem obmutescentes literas non vltimum locum tenet *l*. Passim enim scriptum inuenias, *Oultre* (ab Vltra) *Doulx, Doulceur, Mieulx, Vieulx*: item in *Pouls* & *Poulce* (id est Pulsus & Pollex) necnon in *Fault, Vault, Hault, Sault, Saulter*: & in pluralibus, *Maulx, Anmaulx, Cheuaulx*. In his enim omnib. nullus planè literæ huius sonus ex rectè pronuntiantiũ ore auditur. Quinetiam sunt qui *Mauluais* cum litera *l* scribant, & *Maulpiteux, Mauldire*: quum ne hîc quidem audiatur.

Sed quorundam sententiam (cui subscribo) refert pater meus, superuacaneam prorsus esse in iis literam *l* existimantium, quum, ad originem etiam quod attinet, syllabam Latinam AL in AV lingua nostra mutauerit. Fecit enim *Haut* ex Altus, sicut *Saut* & *Sauter* ex Saltus & & Saltare: eodem pacto quo *Paume* ex Palma, *Sauf* & *Sauuer* ex Saluus & Saluare. Atque adeo quædam duobus efferri modis videmus, & cum *l*, manente ex Latino sermone, & cum *u*, in quod illa litera versa fuit. Dicitur enim & *Malpiteux* & *Maupiteux*, item *Malplaisant* & *Mauplaisant*, aliáque itidem multa: (& ita tamen vt quæ syllabam *mau* habent, suam antiquitatem

màgis redoleãt quàm quæ *mal)*at quum *Maulpiteux* ſcribis,adiiciens *l* literæ *u*, duas ſcripturas in vnam confundis. Iam verò & in multorum nominum pluralibus manifeſta eſt ſyllabæ *al* in *au* mutatio : quum *Mal* & *Cheual* & *Animal*, in ſingulari, at *Maux* & *Cheuaux* & *Animaux* in plurali dicamus. cur igitur literam *l* in aliã eſſe mutatam dicemus, & tamen eam retinebimus, *Maulx* ac cætera itidem ſcribẽtes? Eadẽ autem ratione *Aucun*, non *Aulcun* cum *l*, ſcribendum fuerit. Quanuis porro de reliquis dici idem non poſſit, quæ habent literam iſtam *l* poſt diphthongum *ou* vel *eu*, multi tamen ibi quoq; eam non ſcribunt:quos libenter ſequor:præſertim in quibus huius literæ prætermiſſio originem non occultat. Hoc vnum iſta de litera addam, eſſe tamen quaſdam voces è Latino ſermone ſumptas, in quibus nihilo minus quàm il lic ſonum ſuum retinet. Earum è numero ſunt *Coulpe* & *Poulpe*,à Culpa & Pulpà.

Ex obmuteſcentibus interdum literis ſunt etiam *b* & *c*. Litera *b* intra vocabulum ipſum, vt in *Doubter:* in fine,vt in *Plomb*,*Coulomb*, ſiue *Colomb*.quanquam multi literam *b* hîc non ſcribunt. At verò *c* præcẽdente *t* non rarò obmuteſcit:in medio,vt in *Iecter*,ex Iactare,*Allaicter*, ex Adlactare.(quum alioqui potius pro illo *Allaicter*,dicendum ſit Lactare)In fine,vt in *Faict*, *Dict*. Sic in participiis quæ triplici conſonante finiuntur: vt *Feinct*,*Peinct*,*Teinct*,*Atteinct*. Notandum eſt autem, multos in illis quidem prioribus,

ribus, *Ietter* & *Allaitter*, ac similibus, quanuis sint à Latinis habentibus *ct*, tamen pro *c* scribere *t*, (ita vt hæc litera geminetur: hoc modo, *Ietter*, *Allaitter*) at verò in posterioribus vocabulis eam prætermittere. Verùm nihil magis rationi consentaneum videtur, quàm vt in istis quæ vel nomina vel participia sunt, vel vtraque simul, litera *c*, quæ in Latinis vocabulis est, retineatur: ad statuendum inter hæc siue participia siue nomina, & ipsa verba, discrimen. Statuitur enim quum pro Facit quidem & Dicit, scribimus *Fait*, *Dit*: at pro Factum & Dictum, quum participia sint, necnon quoties sunt nomina, scribimus *Faict*, *Dict*. Sic etiam quum in participiis *Feinct*, *Peinct*, *Teinct*, literam *c*, quæ est in participiis Latinis, Fictus, Pictus, Tinctus, retinemus, distinguimus à verbis præsentis temporis, indicatiui modi, *Feint*, *Peint*, id est, Fingit, Pingit. Quanquam verior & magis ratione nitens scriptura esset, si litera *d* finirentur: quum infinitiui modi sint, *Feindre*, *Peindre*.

Verùm quod attinet ad illa, *Faict* & *Dict*, pro Factum & Dictum, sunt qui in eorum itidem pluralibus *c* retinent, scribentes *Faicts* & *Dicts*: sed malim eam hinc abesse, quum vel articulus adiunctus, vel quod præcedit quódve sequitur, aut etiam vtrumque, satis distinguere hæc possit à vocibus quæ Facis & Dicis significant. Adde quòd *Fais* & *Dis* pro his, potius quàm *Faits* & *Dits*, scribendum est.

Hæc litera in quibusdam etiam peregrinis

vocibus, id est, ex alia lingua oriundis, sonum suum amittit. vt in *Practique, Practicien*. pronuntiamus enim *Pratique, Praticien*. Sed quidam etiam paulo fortius, quasi *c* in *t* vertendo, scriberetur *Prattique*, *Pratticien*. Paucula quædam sunt in quibus hæc litera nonnullis muta est, quum ab aliis pronuntietur. Atque horum è numero est *Dicton:* (quæ vox, sicut & aliæ quædam, integra nobis permansit, si pronuntiationis non exactè ratio habeatur) nonnulli enim proferunt quasi *Diton* scriptum esset, quum alij (quos sequendos puto) suum literæ *c* sonum tribuant.

D etiam obmutescit interdum, & quidem in principiis verborum præsertim: vt in *Aduancer, Aduenir, Aduertir, Adiouster, Adiourner*. Sed & in quibusdam nominibus, vt in *Aduantage, Aduis, Aduocat:* & in verbis quæ ex iis sunt deriuata, *Aduantager, Aduiser, Aduocasser*. At verò in *Aduersaire*, in *Admettre, Administrer*, nihilo magis est muta hæc litera *d*, quàm in Latinis, Aduersarius, Admittere, Administrare. Itidémque in quibusdam aliis sonus eius auditur, vbi à vulgo non pronuntiantur. nam hoc ista etiam in re peccat, proferens (exempli gratia) *Aministrer* pro *Administrer*.

Litera *f* muta est in *Briefue* & in *Briefuement*, quanuis minimè obmutescat in *Brief*. (sed quibus *Bref* magis placet quàm *Brief*, potius *Breue* & *Breuement*, absque *f*, quàm *Brefue* & *Brefuement* scribunt) Sic verò quanuis in *Veuf* pronuntietur *f*, tamen in *Veufue* est ἄφωνος. Existimo autem

tem

tem receptam fuisse hanc fœmininis inserendæ literæ *f* consuetudinem, non solùm quòd in masculinis ea esset & pronuntiaretur, sed etiam ad indicandum literam *v* esse talibus in locis consonantem. Nam de *Trefue* (quo induciæ significantur) & quibusdam aliis, idem quod de *Briefue* siue *Brefue*, & de *Veufue*, dici non potest : quorum masculina sunt, *Brief*, siue *Bref*, & *Veuf*.

LITERA *g* in multorum vocabulorum fine obmutescit : vt in *Loing*, *Besoing*, *Tesmoing*. sed hæc aliáque huiusmodi absque illa etiam scribuntur: quanuis in verbis quæ ex illis sunt deriuata, pronuntietur: vt in *Esloingner*, deriuato ex *Loing:* in *Tesmoingner*, deducto ex *Tesmoing*. Sic autem obmutescit ista litera & in *Congnoistre*, siue *Cognoistre*, quod Latino Cognoscere vicinius est.

Literam *h* quibusdam vocabulis nullam aspirationem dare, ostendi iam antea quum de ea differerem. Est tamen & ad indicandam originem, & interdum ad discrimen constituendum necessaria: vt vox *Hoste*, quæ Hospitem significat, hac litera distinguitur ab *Oste*, id est Amoue.

SED quosdam esse sciendum est quorum scriptura in quibusdam vocabulis duas simul literas obmutescentes habet : veluti qui scribunt *Haults*. hîc enim nullum sonum edunt *l* & *t*. Sic etiam qui scribunt *Faicts*, id est Facta: quum nec *c* nec *t* pronuntientur. Sed magis recepta scriptura est *Hauts* & *Faits* : itidémq; in scribendis

aliis vocibus concurſus hic duarum conſonantium quæ obmuteſcunt, ab iis qui orthographiæ peritiores ſunt, vitatur.

AD ALTERAM autem literarum obmuteſcentiam quod attinet, quam minimè naturalem eſſe ſed potius per accidens fieri dixi, quum minus etiam quàm præcedens certis circumſcribi terminis poſſit, eam ex orationis Gallicæ lectione diſcendam tibi proponam, (eandem quam ſuprà rationem ſequens) & ita quidem vt etiam præcedentis, cuius permixta exempla erunt, te admoneam. Conſidera igitur hanc orationem,

Vous me dites touſiours que voſtre pays eſt plus grand de beaucoup & plus abondant que le noſtre, & que maintenãt vous pourriez bien y viure à meilleur marché que nous ne viuons depuis trois mois en ceſte ville: mais tous ceux qui en viennent, parlent bien vn autre langage: ne vous deſplaiſe.

Eam ſic pronuntiabis, nullum illis dans literis ſonum quæ obmuteſcere in recta & minimè affectata pronuntiatione debent,

Vou me dite touiours que votre pays eſt plu gran de beaucoup & plus abondan que le notre, e que maintenan vou pourrie bien y viure à meilleur marché que nou ne viuon depui troi mois en cete ville: mai tou ceux qui en viennet, parlet bien vn autre langage: ne vou deplaiſe.

Conſidera hîc, in vocula *plu* priore quidem loco mutam eſſe literam *s*, quòd ſequatur conſonans:

ſonans: at in poſteriore nequaquam, quoniam ſequitur vocalis. Sic etiam in *grand* non obmuteſceret *d*, neque in *plus*, ſi vocabula ita collocares, *eſt plu grand & plus abondan que le notre.*

Animaduerte item, me in *touſiours* retinere literam *s*, quanuis ſequatur conſonans: quòd præcedant aliquot aliæ voces contiguæ, in quibus illa obmuteſcit, & illæ quidem tam citò vna poſt alteram pronuntientur vt propemodum efficere vnicum vocabulum videantur: at verò poſt *touiours* aliquantulum interquieſcat qui loquitur. Quæ res, vel ſola, in cauſa eſt interdum cur hanc literam aut aliam ſono ſuo non priuemus: præſertim tamen vbi paulo etiam plus quàm hîc interquieſcendum eſt. Veluti quum dicitur, *C'eſt vn propos qu'on tient touſiours, quand on ne ſçait que reſpondre.* vel, *C'eſt vn propos qu'on tient ſouuent, quand* &c. Ita enim proferes, *C'eſt vn propo qu'on tien touiours, quand on ne ſçait que repondre.* vel, *qu'on tien ſouuent*, dando ſonum literæ *ſ*, aut literæ *t*. Atque adeo ſunt etiam qui *propos* pronuntiarent, non obmuteſcente litera *s*: nec male certè, quòd hîc quoque aliquantulum interquieſcatur, licet minus quàm poſt illud *touiours*, vel illud *ſouuent*. Neque verò hîc de imperito vulgo loquor. id enim nullam huius rei rationem habet: imò verò non vnicam literam finalem, ſed duas, in illo aduerbio ſono ſuo priuat, proferens *touiou*.

De hoc quoque te præmoneo, vulgus ſonare *vienne* & *parle*, abſque *t*, in locis illis, *mai tou ceux*

qui en viennet, parlet bien vn autre langage: quum ij qui rectæ pronuntiationis & ſtudioſi & periti ſunt, non omnino nullum ſed tenuem quendam ſonum relinquant huic literæ, quæ eſt in integris *viennent* & *parlent*. Atque adeo hæc pronuntiatio eo magis conſentanea rationi eſt, quòd alioqui pro pluralibus ſingularia pronuntientur. ſingularis enim numeri ſunt *vienne* & *parle*.

Obſerua autem in illa priori oratione, alia obmuteſcentiæ alterius exempla de qua dictum antea fuit. Nam in *touiours* & in *votre*, *notre*; & in *deplaiſe*, litera *ſ* non per accidens, ſed more ſuo, obmuteſcit (itidémque in *repondre* in illa poſteriori oratione.) At verò in fine aduerbij *depuì* eam per accidens dico obmuteſcere, quoniam ſuum ſonum haberet, ſi vocalis ſequeretur. Diceres enim, *Depuis vn mois*, *Depuis onze mois*: non autem, *Depui vn mois*, *Depui onze mois*. Sic etiam in illa oratione, *C'eſt vn propos qu'on tien touiours*, ſi mutare velis aduerbium *touiours*, in aduerbium *ordinairement*, quod à vocali initium habet, non obmuteſcet *t*. pronuntiabis enim, *C'eſt vn propos qu'òn tient ordinairement*.

Verùm & hoc ſciendum eſt, quod ad literarum ſuppreſſionem attinet, etiam ab iiſdem lentius loquentibus non ſupprimi alicubi eas ipſas quas ſupprimerent ſi celeriter loquerentur. Satius autem plerunque eſt in illam quàm in hanc partem peccare.

Omnibus quidem cerè vſitatæ ſunt eliſiones

quæ

quæ per apostrophum fiunt, quas nos cum Græcis communes habemus. Præsertim verò post particulas fieri solent, vt *Ce, (c'est luy) Le, (l'amour) Que, (ce qu'il a dict) Te, (tu t'abuses) Me, (ie m'abuse.)* Sic certè Græcis post voculas μὲ, σὲ, δὲ, γε, τε, vsitatissimæ sunt ἐκθλίψεις per apostrophum. Sed in nostro contingit sermone interdum, quum monosyllabum vocabulum alij subiungitur, vt cum eo videatur cohærere, quũ quis celeriter loquitur. veluti in hoc prouerbio, *Qui terre a, guerre a.* (.id est Qui terrã (.i. prædia) habet, guerram habet. Vocamus autẽ guerram bellũ) quia enim pronũtiatur, *Qui terr'a, guerr'a,* facta vtrobique elisione per apostrophum, aures non assuetæ pro vnico accipient vocabulo illud *terr'a:* itidémque *guerr'a*, pro vno tantúm. Atque adeo quibusdam in locis facta huiusmodi ἐκθλίψις ambiguitatẽ iis etiam qui peritissimi sermonis sunt afferre potest: & quidem talem alicubi quæ risum moueat. Quæ res in Græca etiam lingua vsuuenit: adeo vt hic Euripidis versus, Ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ, toti theatro risum excitarit: vtpote ita pronuntiatus vt potius γαλῶ ὁρῶ quàm γαλήν' (quod esset pro γάλεω) ad aures accideret.

Verùm sciendum est, quandam etiam esse per apostrophum elisionem nobis minimè cum Græcis communem: eam nimirum qua vocalem sequente etiam consonante elidimus. Vix tamen alibi quàm post literam *d* id fieri comperietur: quum dicimus, *Vne grand' chose, Ce n'est*

pas grand' choſe. Itidémque, *I'ay grand' peur.* vtrobique enim *grande* dicendum, ſi hæc ἔκθλιψις non interueniret. Eadem in verbo *Garde* libertate vtentes, dicimus, *Dieu vous gard' de mal,* & *Dieu vous gard' monſieur,* pro *Dieu vous garde.* Quibus tamen locis plerique apoſtrophi notam minimè adhibent, præſertímque poſt hoc *garde.* Cæterùm, quanuis dixerim eliſionis ſequente etiam conſonante factæ exemplum vix alibi quàm poſt literam *d* inueniri, non ignoro tamen eſſe etiam qui ea poſt literam *l* vtantur: vt *mil* pro *mille* dixit horum verſuum autor,

Si viure en doute, & faire longues traites,
Par mil' dangers, ſans argent ni retraites.

Quinetiam ſcio à quibuſdam pronuntiari *Quel' qu'elle ſoit,* pro *Quelle qu'elle ſoit:* ſed ſicut valde rárum iis qui è vulgo non ſunt, ita malam eſſe hanc pronuntiationem dico: ſic tamen vt hîc quàm illic (id eſt, quàm poſt illud *mil*) tolerabiliorem eſſe eliſionem fatear.

EN imuero de alio etiam eliſionum genere monendus es, quæ vocari potius ſyncopæ debent: ſúntque vulgo quidem potiſſimum, ſed tamen aliis etiam, quum celeriter loquuntur, vſitatæ. Loquor autem de locis illis in quibus nõ ſolùm litera vna, ſed etiam duæ, & quidem ſequente conſonante, intercidunt. Neque enim tantùm dicitur *Qu'a-tu,* pro *Qu'as-tu:* ſed etiam *Qu'a-vous,* pro *Qu'auez-vous:* non tantùm quũ hîc ſermonem ſiſtimus, ſed & quum aliquid addimus:

dimus: veluti quum dicimus, *Qu'a-vous à me dire?* Tale est, *N'a-vous*, pro *N'auez-vous*: vt, *N'a-vous pas faict ce que i'ay dict?* Tale etiã, *Sça-vous*, pro *Sçauez-vous*. vt, *Sça-vous bien ce qu'il a dict?* Quemadmodum autem in his scribendis pronomen *vous* iungere cõgimur cum *a*, quod post syncopen remansit, ita fortasse & in superioribus syncopis, melius *Qu'a-vous* & *N'a-vous*, itidémque *Qu'a-t-il*, scribi existimo.

Ac talia quidem (vti dixi) ex eorum etiam ore qui è vulgo non sunt, interdum audiuntur. Habet alioqui illud & peculiaria sibi nõnulla, quæ huius generis sũt. Quorũ è numero est *Plamour*, Parisiis præsertim. ibi enim sæpe plebs verba hæc *Pour l'amour* in illud *Plamour*, per miram syncopẽ, conuertit. Verùm, vt de iis potius loquar quæ non ita plebi seu vulgo peculiaria sunt, in eadem vrbe aliísque vicinis, audis, *Sa vostre honneur*, & *Sa vostre grace:* pro *Sauf vostre honneur*, & *Saune vostre grace:* (nisi hîc quoque locum habere posse masculinum *Sauf* existimemus, tanquam aduerbialiter positum) id est, Saluo honore tuo, & Salua gratia tua. Dicunt autem *Sauf vostre honneur*, qui præfari honorem volunt, vt Latini loquuntur.

Verùm, quandoquidem hunc in sermonem incidi, aliarum etiam vocum exempla proponam quæ syncopen sunt passæ: quarum quum nonnullæ compositæ sint, à syncope aut simplici aut etiam duplici deprauãtur, & compositio eorum occultatur.

DE ALIIS VOCABVLIS SYNCOPEN AVT APOCOPEN passis.

De nonnullis compositis quæ à syncope aut simplici aut duplici deprauantur, ita vt etiam compositio eorum lateat. Item, De aliis compositis, in quibus duæ aut plures voces quæ apostrophi nota sciungebantur, in vnam conflatæ fuerunt.

SICVT igitur quædam literæ, quanuis scribantur, tamen obmutescunt, ita etiam quasdam non solùm literas sed etiam syllabas obmutescere vidisti in plerisque vocabulis modò in exemplum allatis: verùm quæ non itidem scribuntur, sed per syncopen interciderunt. Sed illis & alia addam quæ diuerso à præcedentibus modo syncopen passa fuerunt. Incipiam autem à syncope quæ in quibusdam fit futuris, eique similis est quæ in quibusdam Græcis verbis spectatur. Dicimus enim *I'amerray*, facta syncope, pro *I'ameneray:* itidémque *Ie dorray*, pro *Ie donneray*. Quidam tamen hîc pro *rr* ponunt *nr*, scribentes *donray:* sed malim literam post syncopen geminari, vt fit in Græca lingua in καββαλε & καπποτσε, syncopen itidem passis. sunt enim facta ex κατεβαλε & κατεπποτσε. Atque vt hæc poetis sunt peculiaria, ita etiam illa carmini Gallico potius quàm solutæ orationi sunt in vsu, præsertímq; illud *Dorray*, siue *Donray*. Syncope autẽ vtimur & in *Craindray*, *Findray*, ac similibus.

Ex iis porro quæ apocopen passa sunt, est vocula

cula *Roſt*, qua vulgus Pariſinum frequenter vtitur, & quidem pronuntians etiam *Ro*, abſque vlla adiectione. Eſſe tamen dicendum *Roſti*, extra omnem controuerſiam eſt.

Verùm ad compoſita quod attinet, in quibuſdam eorum ſyncopæ, non itidem licitæ vt illa cuius exemplum in nonnullis futuris attuli, interuenerunt: & quidem tales vt ab iis compoſitio ipſa occultetur. Huius generis eſt aduerbium *Dorenauant*. (pro quo vulgus pronuntiat etiam *Dornauant*) id eſt, In poſterum, Poſthac. hoc enim factum eſt ex iſtis vocibus, *D'ores en auant*. q. d. De nunc in poſterum. (Sic autem dicimus interdum, *D'ici en auant*) neq; dubium eſt quin emendatè, loquatur qui ita effert. Talis certè ſyncope eſt etiam in *Deſormais*, quod idem valet. dicitur enim *Deſormais* pro *Des ores mais*: atq; ita de tempore vſurpatur *mais*, vt in *Iamais*. Sed tamen *Deſormais*, non *Des ores mais*, haud à vulgo tantùm, verùm etiã à linguæ peritiſſimis dicitur: neq; iam illud mutare in iſtud liceret.

Sic vulgò, *Samdeſſuſdeſſous*, quaſi vnicam vocem, pronuntiamus: quum ſignificare velimus, *Ce que deſſus, deſſous*: atque adeo hæ quatuor voculæ in illud vocabulum per ſyncopen & deprauationẽ coaluerunt. Tale eſt autem *Samdeuamderriere*, pro *Ce que deuant, derriere*.

Exempla huius de qua diſſero depraua tionis extant non pauca & in quibuſdam vocabulis è Latino ſermone ſumptis. Ex quibus eſt *Spandant*, pro Interim. ita enim ſæpe multos vt pro-

nuntiantes, ita etiam scribentes vidi: (sed ex iis præsertim qui è vulgo erant) quum & pronuntiandum & scribendum sit, *Ce pendant.* id est, Hoc pendente, sub.tempore. Atque adeò istud nomen non minus frequenter addimus, ad eandem rem significandam. Neque enim rarò dicimus etiam *Ce temps pendant*, id est, hoc tempore pendente. In hac autem re, sicut in aliis infinitis, consuetudinem Græcorum sequuti sumus: in hac ellipsi, inquam. ita enim illi sæpe post prononem relinquunt subaudiendam vocem qua tempus significant. Dicunt enim ἐν τούτῳ, subaudientes τῷ χρόνῳ: (sicut & quum dicunt ἐν τῷ μεταξύ) Sic μέχρι τούτου, pro μέχρι τούτου τοῦ χρόνου. Item, ἐξ ἐκείνου, pro ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου. Scribitur autem & coniunctè *Cependant:* sed malim neque coniunctè neque omnino disiunctè scribere: hoc nimirum modo, *Ce-pendant.*

Adverbium *Antam* in eorum ponere numero possumus, quorum, quum è Latino sermone petita sint, compositionem occultari dixi. Quotusquisque enim hasce duas Latinas voces Ante annum in illam Gallicam esse conflatas animaduertit? Verùm in hoc vocabulo nequaquã, vt in præcedente, à vulgo magis quàm à cæteris peccari dicere possumus. Imò verò vulgus, quod apertè hîc pronuntiat *a* in fine, melius profert quàm nonnulli qui è vulgo non sunt, quasi scriberetur *Antem.*

NVNC ad exempla venio aliorum compositorum in quibus duæ aut plures voces, quæ apo-

apostrophi nota sejungebantur, in vnam conflatæ fuerunt. Incipiam igitur à nomine *Debonnaire*, in quo insigne eius rei exemplum habemus. Dicitur enim *Debonnaire* pro *De bonne aire*, vel potius (adhibita apostrophi nota) *De bõn'aire*. Estque ab auibus quas prædatrices vocamus, translatio, quarum nidus propriè appellatus fuit *aire*, vel fœminino (quod magis placet) vel masculino genere. Quod tamen si ita est, dictum olim fuit & scriptum, *De bon aire*.

Sic etiam aduerbium *Auiourd'huy* (id est Hodie) vna voce profertur, quum ex quatuor vocibus coaluerit, *Au iour de huy*: sed potius adhibita apostrophi nota scribebatur & proferebatur, *Au iour d'huy*.

In *Naguere* (quod pariter est aduerbium temporis) coalescunt itidem plures voces in vnam. Siquidem *Naguere* dicitur pro *N'a guere*. id est, *Il n'y a guere*. Intelligitur autem, *Il n'y a guere de temps*.

Itidem quum dicimus, *Il y est allé d'aguet*, perinde proferimus acsi litera *d* ad vocabulum *aguet* pertineret, & scriberetur *daguet*: quum tamen compositum sit ex præpositione *de* & *aguet*.

Quod autem in duobus proximè præcedentibus contingit in principio, in quibusdam aliis vocabulis contingere in fine videmus. Ex quibus est *Pieça*. dicitur enim *Pieça* pro *Piece a*, &, cum apostrophi nota, *Pieç'a*. Nam pro his, *Cela est faict pieça*, dices etiam, *Il y-a bonne piece que*

cela eſt factũ. Intelligitur autem, *Bonne piece de temps.*

Ex eorum verò vocabulorum numero quæ è duobus facta fuerunt, non diſiunctis antea per apoſtrophum, eſt aduerbium *Touſiours*, quo ſignificatur Semper. eſt enim ex *Tous* & *iours*. q.d. Totis diebus, vel Totos dies. (pro quo Picardica dialectus dicit *Toudi*) Sed plebs ita pronuntiat vt hanc compoſitionem vix animaduertas. ſiquidem non ſolùm prius *ſ*, verumetiam poſterius, atque adeo literam *r*, ſono ſuo priuat: proferẽs *Touiou*. Quidam verò literam *r* malè tranſponentes pronuntiant *Touriou*.

DE VARIIS MVTATIONIBVS QVAE VOCABVLIS Latinis contigerunt, in Gallicam linguam tranſeuntibus.

DVM IN præcedenti capite in exemplum nonnulla afferrem compoſita vocabula, quæ ſunt è Latino ſermone oriunda, quum tamen nihil tale præ ſe ferant: multa alia huiuſmodi partim compoſita partim ſimplicia in mentem mihi venerunt, quæ quum illius loci non eſſent, in alium reſeruanda cenſui. Tandem verò non illa tantùm quæ mihi tunc temporis memoria obiter ſuggeſſerat, ſed alia quamplurima quæ poſtmodum à me ſolicitata ſuppeditauit, proponenda tibi eſſe, atque adeo de variis differendum mutationibus exiſtimaui, quæ Latinis vocabulis

cabulis contigerunt, antequam in Gallicam transire linguam possent.

Non mediocrem certè hoc ex labore fructum referre extranei præsertim poterunt. Multæ siquidem sunt voces, quarum origo cognita, non solùm multo eas melius memoriæ infiget, sed ad cognoscendam etiam significationem multum adiumenti est allatura. Cæterùm extraneos multas ex his deriuationibus mirari (sic tamen vt ἀναλογία nullam de iis dubitationem illis relinquat) minimè mirum mihi erit: quum præuideam fore vt idem ipsismet Gallis (eorum quidem certè plurimis) vsuueniat: quippe qui de iis nunquam cogitarant, ac fortasse ne cogitaturi quidem vnquam erant.

LATINA igitur vocabula antequam fieri Gallica possent, quatuor potissimũ obnoxia mutationibus fuerunt. Neq; enim tantùm literæ aliæ aliarum locum occuparunt, sed plerunque traiectæ, seu (vt vulgò loquimur) transpositæ fuerunt: frequenter etiam per syncopen aut apocopen, alióve pacto abiectæ quæpiam fuerunt: aut contrà externa quæpiam interuenit: nec rarò harum mutationum duæ aut tres simul contigerunt.

Sed quum primæ illius partis tractationi pater meus immoratus sit, reliquarum verò non item: ego illam quidem attingam duntaxat (sic tamen vt insignia aliquot exempla iis quæ ipse attulit adiiciam) de reliquis autem fusius disseram.

Vt igitur ab exemplis mutationis literarum initium sumam, secunda quæ est B, sicut in vocabulis è Græco sermone in Latinum traductis, ita etiam in iis quæ Gallicus è Latino est mutuatus alicubi seruata fuit, sed in non paucis etiam locis in literam *u* consonantem mutata. Nam vt Latini è Græcis, Βάλανος, Βαλανεῖον, Βλαισὸς, Βάρβαρος, fecerunt Balanus, Balneum, Blæsus, Barbarus: (non aliam illic quàm hîc pronuntiationem habente litera illa, si verum est quod multi arbitrantur) & tamen iidem ex Βία, Vis, ex Βίος, Vita, ex βάδω (vnde βαδίζω) Vado fecerunt: ita certè Galli ex Latinis, Batuere, Blandiri, Bestia, Bonum, fecerunt *Batre, Blandir, Beste, Bon:* sed tamen ita vt etiam mutare hanc literam in *v* consonantem in certis quibusdam vocabulis sibi permiserint. Nam pro Liber, *Livre*, itidémque pro Libra, *Livre*: pro Ebrius, *Yvre:* pro Febris, *Fievre:* pro Faber, *Fevre:* (vnde *Orfeure* pro Aurifaber. alicubi tamen *Favre* non *Fevre* dicitur) pro Coluber, *Coleuvre*, siue *Couleuvre:* pro Taberna, *Taverne:* pro Caballus, *Cheual:* pro Probare, *Prouuer* dixerunt. Sed ad primum exemplũ quod attinet, non absimile vero fuerit, ideo pro Libro nõ *Libre* sed *Livre* dixisse, quòd iam *Libre* vocaretur is quem Latini Liberum appellabant. Nec certè nullam huius rei coniecturam facit nomen *Libraire*, in quo litera *b* retinetur. Haud, inquam, nullum hæc vox coniecturæ locum relinquit: sic tamen vt responderi etiam possit, vocem istam deriuatam longo

post

post illam primitiuam tempore in vsum venisse, quum illa mutatio literæ *b* in *v* iam in desuetudinem veniret.

Cæterùm litera B ab v consonante sede sua in illis vocabulis expulsa, par pari alicubi retulit. Vnde factum est vt ex Coruus non habeamus *Corueau*, sed *Corbeau*: ex Curuus & Curuare, non *Courue* & *Couruer*, sed *Courbe* & *Courber*: ex Riualis non *Riuaud*, sed *Ribaud*.

VERÙM, vt de litera v in sedes alienas migrante pergam dicere, in hanc ipsam mutatæ aliæ tres potissimum fuerunt, L, N & P. Sed quoniam P quidem in v, consonantem itidem, mutata fuit, at illæ duæ in v vocalem, aut saltem quæ diphthongi pars esset: vocabula in quibus P conuersum in v fuit, prius proponam.

P igitur in *v* consonantem, vt in *Auril*, quod est nomen mensis. nemo enim ex Latino Aprilis factum esse non videt. Sic *Ouurir*, *Couurir*, *Recouurer*, ex Aperire, Cooperire, & Recuperare. Sic *Sauon* ex Sapo: sic *Raue* & *Nauet*, ex Rapa & Napus: sic *Cuue* ex Cupa.

L in *u*, (non itidem consonantem, sed cum *a* in diphthongum coalescentem) vt in *Paume*, *Maune*, *Aube*, *Sauf* vel *Sauue*, & *Sauuer*. Esse enim oriunda hæc constat à Latinis, Palma, Malua, Alba, Saluus & Salua, ac Saluare. Quinetiam in *u* quæ cum *o* in diphthongum coalescit, in his, *Mou*, *Cou*. haud enim aliter vulgus, nec plerique eorum etiam qui è vulgo non sunt: quum tamen in vsu etiam sint *Mol* & *Col*, quæ ex La-

tinis Mollis & Collum sunt tantùm ἀπηνεκομένα, non etiam μιλαβιζλημένα. Sic autem & *Fou* plerique dicunt: quum tamen in vsu sit etiam *Fol:* atque hoc non illud rectè dici ostendat fœmininum *Folle,* & substantiuum hinc deductum, *Folie.*

N in *u* quæ cum *o* in diphthongum coalescit: vt in *Couster.* hoc enim factum esse videmus ex Constare quod de pretio dicitur. Sic *Espoux* & *Espouser* ex Sponsus & Sponsare. Sic *Couuent* ex Conuentus, & *Mouſtier* ex Monasterium. Sic enim maiores quoque nostri pronuntiarunt, non *Conuent* & *Monſtier.*

Quemadmodum autem diphthongus *ou* adeo nobis placuit, vt *ol* & *ou* alicubi in eam verterimus: ita etiam ipsam *u* à nobis in eam versam in multis fuisse sciendum est. Nam *Sourd, Tourd, Court,* ex Surdus, Turdus, Curtus, orta esse constat: item ex duobus substantiuis *Court* & *Cour,* hoc ex Curia, illud ex Cors, cortis, originem habere, haud negare quispiam possit. Sic *Estourneau* ex Sturnus, *Four* ex Furnus, *Foullon,* aut *Foulon* (sequendo eos qui priorem breuiter pronuntiant) ex Fullo: *Coultre* (dens aratri) ex Culter: *Couteau,* pro quo olim *Coutel* (quo hodiéque nationes quædam vtuntur) ex Cultellus: *Moult,* vox antiquissima, ex Multum: *Doux* ex Dulcis: *Coulpe* ex Culpa, & *Coupe* ex Cupa. Sic etiam *Bouche,* ex Bucca: *Mouſſe,* ex Muscus. Idémque videre est in iis vocabulis quæ inter verba (in octo partiũ orationis enumeratione) censen-

censentur. Nam pro Surgere, *Sourdre*: pro Nutrire, *Nourrir*: pro Bullire, *Bouillir* dicimus. Sed quanuis sermo noster *u* in *ou* ita mutet, nequaquam tamen in Latinarum vocum pronuntiatione Italos imitamur, hanc diphthongum potius quàm literam illam proferentium.

Inter cæteras mutationes non vltimũ locum tenet literæ *i* in *g* mutatio, vel potius in *i* consonantem. Hæc certè mutatio diligenter obseruata multorum nobis vocabulorum origines indicat quæ prorsus, incognitæ manerent. nam *Sergent* ex participio Seruiens ortum habere non animaduerteremus, & *Vendemge*, ex Vindemia. Quibus similia sunt (quod ad μεταβολὴν attinet) *Simge*, ex Simia, & *Saulge* ex Saluia: quinetiam *Gougeon* ex Gobio: atque adeò *Digeon* ex Diuio: item *Deluge* ex Diluuium. Denique *Leger* ex Leuis. quod certè ex verbo *Alleger* appareret. nam eodem planè modo *Alleger* ex Alleuiare factum est, quo *Abbreger* ex Abbreuiare. Quum autem dixerim literam *i* in *g* mutari in huiusmodi verbis, vel potius in *i* consonantem, non dubium est quin scribi etiam hac litera possint, videlicet *i* consonante, *Uendemie*, *Saulie*, *Gouion*, *Deluie*, *Alleier*, *Abbreier*. Sic certè pro Diuio, ex quo similis vel potius eadem facta est mutatio, potius *Diion* quàm *Digeon*, scribi videmus. Verùm (sicut & alibi dixi) I maiusculam (id est formæ maiusculæ) scribi magis placeret, vt hac re lector admoneretur: hoc modo, *VendemIe*, *SaulIe*, *GoulIon*, itidémque in cæteris.

Ex reliquis mutationibus quædam sunt in quibus Græcos imitamur. nam c in g ita mutari à nobis dicere possumus in *Dragon*, ex Draco, in *Figue* ex Ficus, in *Agu* vel *Aigu*, ex Acutus, & *Aguille* vel *Aiguille*, ex Acus: in *Maigre*, ex Macer, & *Alaigre* ex Alacer: sicut à Græcis κάπα in γάμμα nonnunquam mutatur, vt in γναφεὺς pro καναφεύς.

Sic quum t in r vertimus, præcedente alia r, vt in *Larron*, ex Latro: in *Pourri*, ex Putris: in *Pierre*, ex Petra: in *Nourrir*, ex Nutrire, dicere profectò possumus nos AEoles imitari. illis enī tribuuntur φθέῤῥω & σπέῤῥω pro φθείρω & σπείρω: itidémque κελαδεννὸς & ἀργεννὸς pro κελαδεινὸς & ἀργεινός: necnon γέννατο pro γείνατο. Quoniam tamen in istis verbis non consonans sed subiunctiua vocalis (id est, quæ in diphthongo subiungitur) in consonantem vertitur, aptius fortasse fuerit κάππεσεν & κάββαλεν, quæ sunt pro κατέπεσεν & καλέβαλεν, in exemplum afferre. Eodem enim modo hîc (postquam facta est syncope) consonans in consonantem sibi contiguam mutatur. nam pro κάτπεσεν & κάτβαλεν dicitur κάππεσεν & κάββαλεν. Atque vt καββαλεῖν pro καλαβαλεῖν, siue καββάλλειν pro καλαβάλλειν, ita etiam ὑββάλλειν pro ὑποβάλλειν legitur (& quidem apud Homerum illud vltimum.) Adscribunt autem Doribus quidam hanc mutationem.

Cætera in patris mei Grammatice videnda tibi relinquam: hoc vnum addens, maiores nostros in vno eodémq; vocabulo Latino diuersa

vsos

vsos esse mutatione, quum etiam diuersas ex eo voces efficere vellent. Exempli gratia, ex Liber, pro libro quidem, *Liure:* at pro libero fecerunt *Libre*, vt antea monui. Sic Cupa verterunt in *Coupe*, pro vase ex quo bibitur: at pro vase lacui torcularis simili ex eodem fecerunt *Cuve*.

Quinetiam, maiore alicubi mutatione vsi, vnum idémque vocabulum Latinum in duo Gallica verterunt, quæ eiusdem aut fere eiusdem essent significationis. Nam ex Ferox fecerunt & *Felon* & *Farouche*: ex Arrogans, & *Rogue* & *Arrogant*. Sed ad illa quidem duo priora quod attinet, vix iudicare quisquam possit vtrum sit antiquius: at verò istud *Rogue* quin multis annis alterum, quod est *Arrogant*, præcesserit, nemini esse dubium potest.

Ne hoc quidem prætereundum censeo, aliquando in verbo Latinam vocalem retineri, quum in verbali mutetur. Dicitur enim *Enflammer*, ab Inflammare: & tamen *Inflammation*, non *Enflammation*. Sic etiam dicitur, *Cela emporte beaucoup*, & tamen, *Cela est d'importance*: non *d'emportance*. Scio tamen esse etiam qui dicant, *Cela importe*: sed hoc recentioris sermonis est, & Italicum imitantis.

VENIO ad reliquas mutationis partes, seu species, quarum tractationi patrem meum minimè, sicut illi primæ, imnoratum esse dixi. Neque tamen vtilissimam fore hanc tractationem ignorabat, sed quum in variis rebus longè ma-

ioribus esset occupatissimus, si hoc quoque susciperet, otium ei quod susceptisset exequendo defuturum videbat.

Quum tamen, antequam de Latinis agatur vocabulis quæ syncopen aut apocopen passa sunt dum in Galliam transirent, de iis agēdum aliquis existimaturus sit fortasse quæ PROTHESIN acceperunt, iam nunc te super hac re ad illius grammaticen remitto, ad paginas videlicet 96 & 97. non pauca tamen iis quæ ibi ab illo scribuntur adiecturus. Is igitur pag. 96, postquam primum Gallica vocabula ex Latinis formandi modum esse dixit, præponendo vnam literam (hoc autem est PROTHESIS) in exemplum affert *Esprit* à Spiritus, & *Espine* à Spina: pagina autem proximè sequente alia huius rei exempla proponit. Verùm his adiici multa possunt: ex quibus tamen nonnulla tantùm seligam.

Addere itaque potes *Estaim* & *Estain*, hoc quidē à Stamen, illud verò à Stamnum (obserua autem me hoc litera *n*, illud litera *m* finire) quia inde est verbum *Estaimer*, per *m*. (Nec certè absimile vero est maiores nostros Stamnum, non Stannum, in Latino sermone scripsisse.) Adiicere etiam licet *Estat*, à Status: & *Escrin*, à Scrinium: *Estourneau*, à Sturnus: *Escuelle*, à Scutella: *Estable*, à Stabulū: *Eschars*, à Parcus. Eiusdem autem in verbis PROTHESEOS exempla (quum ille nulla proferat) hæc sunto: *Escrire*, à Scribere: *Espardre*, à Spargere: *Eslargir*, à Largiri:

giri: *Eſtablir*, à Stabilire: *Eſtrangler*, à Strangulare.

Sed hanc quoque obſeruationem adiungam, lectori vt non infructuoſam, ita etiam non iniucundam (ni fallor) futuram: nos idem in quibuſdam quæ ſumpſimus è Græco ſermone vocabulis feciſſe. Dicitur enim *Eſcharas* (pro quo Pariſiis *Eſchalas*) à χάραξ, *Eſtradiot*, à στρατιώτης: *Eſclat*, à κλάσμα: *Eſtuge*, à στύγη: *Eſquif*, à σκάφη, vel potius eius diminutiuo σκαφίον: *Eſquinance*, à συνάγχη: *Eſcurieu*, à σκιοῦρος: *Eſtomach*, à στόμαχος: Neque enim nos è riuo potius quàm è fonte hæc poſteriora hauſiſſe puto: (id eſt, à Latinis potius quàm ab ipſis Græcis accepiſſe) quum tam multa alia è fonte hauſta habeamus: ex quibus ſunt illa priora. Inter quæ illud *Eſtradiot* magno olim in vſu fuit de equite leuiter armato, (qui expeditus, ac fortaſſe ferentarius etiam dici poſſit) & quidem Albano, vulgo *Albanois*. vnde appellationē hanc eodē quo illos tempore, ac non prius, in Galliam veniſſe credibile eſt. Hodie autem iocoſè *Eſtradiot*, vel *Vn petit eſtradiot*, de eo dicitur qui & ingenio & corpore ad expedienda negotia, ſiue ad res exequendas eſt promptus.

Ne hoc quidem lectori iniucundum fore ſpero, præſertim Græcæ linguæ ſtudioſo, audire quomodo quædam Græcorum dialecti hanc ipſam literam E, quam nos Latinis pleriſque vocabulis præfigimus, vocibus Græcis præfixerint. Sciat igitur Ionicam fuiſſe itidem PRO-

THESIN literæ ε, in Ε'ἕλπομαι, Ε'ἕλδομαι, (à quo & ἐέλδωρ) & Ε'ἔργω: pro Ε"λπομαι, Ε"λδομαι, Ε"ργω, atque adeo ἐωθέουσι ab Herodoto pro ὠθέουσι ita dictum esse: eodémque modo nominibus hanc literam præfigentes dixisse ἑέρση, ἑέδνα, ἐείκοσι. Atticos verò morem Ionum (à quibus alia multa acceperunt) in præteritis sequutos esse, dicentes, ἑώρων & ἑώρακα, pro ὥρων & ὥρακα: itidémque ἐωγεύμην & ἐώγημαι, & ἔηκα. quibus similia sunt ἔεργε & ἑήνδανε apud Homerum. Quinetiam Ε'θέλω pro Θέλω, & Ε'χθὲς pro Χθὲς ex hac Ionum consuetudine ad cæteros Græcos manarunt.

VT autem à Græcis ad Gallos reuertar, obseruandũ tibi est eos interdum nomini substantiuo hanc vocalem præponere quum tamen adiectiuo inde orto non præponant. Nam *Estude* dicunt, à Latino Studium: & tamen *Studieux*, non *Estudieux*. Sic etiam *Espace*, à Spatium: & tamen *Spacieux*, non *Espacieux*. Sed quin hæc adiectiua longè substantiuis posteriora sint, non est quòd dubitemus. Huic autem obseruationi aliam eôdem pertinentem addo, nimirum nos nomini Latino hanc literam non præfigere, quum tamẽ verbo præfigamus. Exempli gratia, dicimus *Stable* ex Stabilis, & tamẽ *Establir*, non *Stablir*, ex Stabilire. In quibusdam autem verbis ex Latino composito literam hanc sumimus. nam dicimus quidem *Large* ex Largus, sed *Elargir*, non *Largir*, nimirum compositum Elargiri, non simplex Largiri, mutuantes. Sic etiam *Es-*

mouuoir

mouuoir dici fortaſſe queat ex Emouere ſumptum (quanuis non eadem manente ſignificatione, quantum quidem ex locis qui de ea vulgo afferuntur, iudicare poſſumus) ſicut *Mouuoir*, ex ſimplici Mouere.

EST aliud præterea de quo præmonendus es: quaſdam Galliæ noſtræ nationes literam illam *e* quibuſdam vocabulis è Latino ſermone ſumptis præponere, quum cæteræ quæ rectius loqui exiſtimantur, nõ præponant. dicunt enim illæ *Les eſtatuts*, pro *Les ſtatuts:* ſicut *Eſtatue* pro *Statue:* item *Eſtature* pro *Stature*, & *Eſtimuler* pro *Stimuler*. atque adeo *Eſtable* pro *Stable:* quanuis vox *Eſtable* ſignificationi ſtabuli à rectè loquentibus reſeruetur. Iidem verò *Eſpacieux* dicunt pro noſtro *Spacieux*. Fateor autem Pariſiorum quoque & quarundam vicinarum vrbium vulgus literam hanc præponere quibuſdam vocabulis vbi qui rectè loqui exiſtimantur, nequaquam id faciunt. Audies enim ibi *Eſcabelle* pro *Scabelle*: quinetiam *Edegré* pro *Degré*.

Sed illæ nationes quas literam *e* dixi præfigere vocabulis quibus à nobis non præfigitur, viciſſim in nonnullis omittunt in quibus minimè à nobis prætermittitur. Dicunt enim *Stomach* pro *Eſtomach*, eodémque alia quædam modo.

CAETERÙM quanuis in præcedentibus exempla προθέσεως huius tantùm literæ attulerim, videor tamen mihi & alias quaſdam alicubi προ-

τιθεμένας obseruasse. Atque adeo vnius saltem vocabuli recordor cui literam *i* præfigimus. id autem est Vsque. dicimus enim *Jusque*. At verò de verbo *Alaicter* dubitari possit, an ex Latino Lactare factum sit, præfixa litera *a*, an potius literam istam habeat tanquam ex composito Adlactare factum sit, etiamsi nulla huius exempla afferantur.

IIS porro vocibus quarum principio additur litera, rationi consentaneum fuerit (meo quidem iudicio) eas opponere quibus litera aut syllaba aufertur. Quæ ablatio APHAERESIS Græco nomine appellatur, & Prothesi à quibusdam grammaticis opponitur. Sed ibi huius ablationis duo tantùm exempla patet meus affert: literæ, vt in *Ord*, ex Sordidus: syllabæ, vt in *Iune* (vel potius *Iusne*, addita *s* ad syllabæ productionem. quidam verò & *Ieusne* scribunt) ex Ieiunium. At pagina 99, affert etiam *Loir* in exemplum, vtpote ex Glis, gliris, ortum. (atque ita Latini, quum Læna pro Græco χλαῖνα dixerunt, ipsi quoque literam quæ *l* præcedebat, abstulerunt) At ego alia etiam in quibus primæ syllabæ vocabuli Latini facta fuit aphæresis obseruaui: ex quibus sunt, *Rogue*, cuius antea mentionem feci: (si quidem putandum sit ex Latino Arrogans factum fueisse) & *Rys*, ex Oryza (quod tamen Græcum potius habetur) passum & apocopen simul. Quinetiam nonnulla quorum primæ syllabæ litera detrahitur, me obseruare memini: ex quibus est Mensura. nam pro eo dicimus

dicimus *Meſure*.

SVNT etiam vocabula quædam Latina quibus litera interiicitur (quod à Græcis dicitur EPENTHESIS) quum Gallica fiunt. Huius exemplum à patre meo affertur *Pucelle*. interiici enim videmus *c*, quum ſit à nomine Puella. Affertur in exemplum & verbum *Troubler*, tanquam habens interiectam literam *l*, quũ ſit à Turbare. Sed aliquis fortaſſe mutatam potius dixerit literam *r* in *l*, ſicut in quibuſdam aliis. Atque hoc in Græco etiam ſermone fieri videmus, ac viciſſim *l* in *r* mutari.

Exemplis igitur ab eo allatis alia adiiciam: Conſonantis quidem, vt *d*, in *Tendre*, ex Tener: Vocalis autem, vt *e* in *Truelle*. hîc enim manifeſtam habemus epentheſin vocalis *e*, quum ſit ex Trulla: ſicut in *Pucelle*, conſonantis *c*, quum ſit ex Puella.

Sed literæ I epentheſis multo quàm alîus cuiuſquam eſt frequentior. Hac enim vſi ſunt maiores noſtri in *Miel* & *Fiel*, quum facta ſint ex Mel & Fel. Sic ex Bene, *Bien:* ex Res, *Rien:* ex Ferus, *Fier:* ex Petra, *Pierre:* (quam epentheſin imitantes Itali dicunt *Pietra*) ex Vetulus fecerunt *Vieil*. Quinetiam ex Deus, *Dieu:* ex Locus, *Lieu*. Nec verò dubitandum eſt quin itidem ſuum *Lie* ex Lætus olim fecerint. Ex quo *Lie*, propemodum obſoleto (pro quo quidam ſcribunt *Liet:* in qua ſcriptura ſeruaretur etiam litera *t* quæ eſt in Lætus) manet *Lieſſe*, pro Lætitia. Addere poſſem *Mien*, quod factum eſt è Meus. in

quo tamen qui fatebitur esse epenthesin, idem & de Tuus ac Suus fateri volet: potius quàm dicere *u* in hisce duobus mutari in *i*. De vocabulis autem, *Fieure*, *Hier*, & *Tiede*, factis ex Febris, Heri & Tepidus, ideo tacendum puto, quòd magis verisimile sit in his ac similibus transponi literam *i* quæ est in Latinis, quàm aliam extrinsecus assumptam interponi. Et verò quod de Latino Heri, idem quoque de Græco μέλι dici posset ab eo qui nostram vocem *Miel* ex illa factam esse contenderet. longè enim manifestissima est literarum transpositio, si ex Meli fiat *Miel*. Sed ego hoc alij contendendum relinquam: quod certè vt verisimile redderet, addere deberet, nos postea vocabulum istud in exemplum nobis proposuisse, quum aliis itidem hãc literam *i* ante *e* interiiceremus. De pronuntiatione autem talium vocum dixi antea.

AT quum fini vocabuli additur litera, vel syllaba, id vocatur potius PROSTHESIS. Exempla autem adiectionis literæ *n* ad finẽ vocum quarundam Latinarum protuli quum de illa agerem.

NVNC ad eas literæ vel syllabæ ablationes transeo, quæ syncopes vel apocopes habere nomen possunt. Aufertur autem per SYNCOPEN interdum quidem litera tantùm, & quidem consonans: interdum autem syllaba, siue ex vnica vocali constans, siue ex vocali adiunctam consonantem habente. Quinetiam duas non raro syllabas auferri videbis.

Litera

Litera vnica, eáque consonans, aufertur, vt *g* in verbo *Fuit:* quum sit ex Fugit. (dicam autem de hac syncope & paulo post) Sic etiam *d* in verbo *Fier*, à Fidere. Cui simile est *Confier*, à Confidere. Sic autem in *Louer*, facto ex Laudare, illa litera intercidit. Eodémque modo *c* in *Loer*. ortum enim est ex *Locare*, sicut *Louer* ex Laudare. Sic etiam in *Mandier*, ex Mendicare. Sed & in multis aliis litera hæc amittitur: veluti in *Luire*, *Duire* & *Reduire*, *Construire*, *Destruire*, & *Instruire*. Sunt enim ex Lucere, Ducere & Reducere, Construere, Destruere & Instruere: mutata etiam *e* in *i*. Denique & literam *t* similiter in quibusdam infinitiuis detrahi videmus: vt in *Saluer*. est enim ex Salutare. Sic in *Puer:* quum dicitur *Puer la vigne*, ex Latino Putare. In quo verbo literam *a* more suo retinentes Sabaudi, vt & quidam alij, dicunt *Puar:* sicut nimirum pro Arare dicunt *Arar*.

Animaduertendum est porro contingere interdum, vt quanuis consonante vnica per syncopen ablata, tamen Gallica vox ex disyllaba Latina reddatur monosyllaba: vt *Fait*, ex Facit: in *Rait*, ex Radit. Atque idem certè de illo *Fuit*, facto ex Fugit, dicere possumus. Sic autem ex Magis, *Mais*, ex Magister factum fuit *Maistre*.

Aufertur autem syllaba, ea quidem quæ ex vnica vocali constat: vt in *Asne*, ex Asinus. vt item in his infinitiuis, *Tendre*, *Rendre*, *Prendre*, *Tondre*, *Respondre*. Hæc enim verba priuantur vocali *e*, quæ est inter literas *d* & *r*, in Latinis,

Tendere, Reddere, Prendere, Tondere, Respondere.

AT verò syllaba constans ex vocali adiunctam consonantem habẽte, aufertur: vt in *Dors*, ex Dormis: & *Dort*, ex Dormiti: in *Ris*, ex Rides, & *Rit*, ex Ridet: in *Lis*, ex Legis, & *Lit*, ex Legit. Animaduerte autẽ, in hisce vltimis verbis *Lis* & *Lit* intercidere priores literas, secus quã in præcedentibus. Quum enim ex Legit facis *Lit*, literas *e* & *g* detrahis, quæ sunt secunda & tertia: at in iis quæ præcedunt, aufers posteriores. Nam *Dort* faciens ex Dormit, aufers *m* & *i*, quæ sunt quarta & quinta. Sic quum ex Ridet facis *Rit*, duas priores & vltimam retines, *d* & *e* auferens. Sed in quibusdam verbis priorésne an posteriores literæ per syncopen intercidant, dici non potest. vt in *Dit*, ex Dicit: in *Escrit*, ex Scribit.

Idem in nominibus fieri videmus. nã *Grans*, ex Grandes: *Fors*, ex Fortes: *Mors*, ex Mortes: *Pars*, ex Partes: *Parens*, ex Parentes: *Arrogans*, ex Arrogantes; *Princes*, ex Principes: *Forces*, ex Forcipes, originem habere scimus. Sed vulgaris scriptura in plerisque consonantem quoque Latinam cum *s* retinet, scribi enim à multis solet, *Grands*, *Forts*, eodémque modo cætera. Scio tamen fore qui apocopen potius quàm syncopen hîc esse contendant; sed ego consonantis post ablatam syllabam remanentis rationem habeo.

Syncopen autem vnà cum apocope passum nomen, est *Rond*. hoc enim fieri scimus ex Rotundus. Nec verò dubium est quin alia illi adiici

adiici possint.

Sed est & alia quædam superioribus audacior (vt ita loquar) syncope, etiam vbi syllaba aufertur quæ ex vocali sola constat, id est, adiunctam consonantem non habente. Audaciorem voco, quia cum syllabæ ablatione literæ etiam mutatio interuenit. Exempla eius habemus in nominibus, *Titre*, *Epistre*, *Apostre*. Hæc enim non tanquam ex Titlus, Epistla, Apostlus, facta sunt: sed tanquam ex Titrus, Epistra, Apostrus: nimirum vnà cum syncope interueniente literæ *l* mutatione in *r*. Neque tamen in omnibus nominibus quæ huiusmodi sunt mutatio ista conspicitur. Nam ex Masculus, Circulus, Articulus, Angulus, habemus *Masle* (pro quo Sabaudi *Mascle*, retinentes *c*) *Cercle*, *Article*, *Angle*: itidémque *Regle* & *Ongle*, & *Table*, ex Regula & Vngula, & Tabula. Eam autem syncopen quæ est in *Estable*, *Tabernacle*, *Habitacle*, necnon in *Couuercle*, ex Stabulum, Tabernaculum, Habitaculum, Cooperculum, ipsimet Latini nos docuerunt: quippe qui in multis huiusmodi ex duabus postremis syllabis vnam faciant: veluti quum pro Seculum, Seclum, pro Periculum, Periclum dicunt (ex quo *Peril* fecimus) & quædam alia. Sic tamen vt non assentiar multis huius ætatis poetis (si tamen poetæ vocari debent quicunque versus scribunt) illa syncope in quolibet vocabulo vtentibus: adeo vt Poculum etiam in Poclum contrahant: non dubitaturi (si aliter suam dare versui mensuram non possint) & ex Stabulum

facere Stablum, noſtræ linguæ exemplo.

Vt autem ex Stabulum fecimus *Eſtable* per ſyncopen, ita *Stable* ex Stabilis: eodémque modo alia multa in BILIS deſinentia contraximus, ex Laudabilis, Honorabilis & Venerabilis, facientes *Louable*, *Honorable*, *Venerable*: itidémque ex Durabilis, *Durable*, ex Tractabilis, *Traittable*. In nonnullis verò quæ habent I, ante BILIS, à quibuſdam retinetur, ab aliis in *a* mutatur. nam pro Vendibilis dicitur tam *Vendible* quàm *Vendable*: eodémque modo pro Conducibilis in vſu ſunt *Duiſible* & *Duiſable*. Pro Credibilis etiam in vſu ſunt duo, *Croyable* & *Credible*: ſed hoc poſterius, vt recentius ita minus Gallicum eſt. Multa autem (vt hoc obiter dicam) vſurpamus, partim in *able*, partim in *ible* deſinentia, in quibus non itidem Latina præeuntia habemus, ſed eorum quæ dicta ſunt aliorúmque huiuſmodi formam imitamur. Talia ſunt, *Faiſable*, *Prenable*, *Souſtenable*, *Receuable*, *Payable*, *Deceuable*, *Mangeable*. In *ible* autem, vt *Infallible*, *Incompatible*, *Admiſſible*, *Loiſible*, *Nuiſible*, *Liſible*. Sed hæc duo poſtrema per *a* etiam efferuntur. Quidam enim ab infinitiuis *Nuire* & *Lire*, *Nuiſable* & *Liſable* dicere malunt: ſicut à *Duire* dicitur non ſolùm *Duiſible* ſed & *Duiſable*. Quædam etiam ex Latinis aliter deſinentibus ad hanc terminationem accommodauimus, ex Conueniens, Capax, Pacificus, facientes *Conuenable*, *Capable*, *Paiſible*.

SED ad ſyncopes exempla vt reuertar, aliud

cius

eius est genus cuius maiorem etiam quàm præcedentis(eius inquam in cuius exemplum attuli *Titre* & *Epistre*)audaciam esse quispiam fortasse dixerit: quum in ea syllabæ duæ, interdum etiam tres, intercidant: (nisi quis apocopen syncopæ coniunctam esse, malit dicere) vt in *Seur*, ex Securus, in *Mur*,ex Maturus. Verùm nequaquam ita dictum fuisse initio putandum est: sed ex Securus seu Securum factum iam olim fuisse *Secur* (nam hodiéque nationes quædam hoc vtuntur)tandem verò hoc quod iam contractum fuerat, per secundam contractionem redactum fuisse in monosyllabum *Seur*. Atque vt ex Securus,initio *Secur*,postea *Seur*,ita ex Maturus,primò *Matur*, tandem verò *Mur* factum fuisse existimandum est. Sed *Meur* per *eu* scribi solet, vt distinguatur à *Mur*,quo Murus significatur. Sic certè pro Serotinus seu Serotinum minimè dubitandum est quin primi Galli *Serotin* dixerint, quod progressu temporis (vt natio nostra breuitatis præ quauis alia est amatrix) in *Serin* contractum fuerit. Sic verò non *Sourcil* & *Persil* (in quibus est trium syllabarum syncope, ex Supercilium & Petroselinũ:aut potius vnius syncope, & duarum apocope)sed *Soupercil* & *Petrosil* dictum olim fuisse credo: præsertim quum hodiéque vox ista *Petrosil* in aliqua dialecto audiatur. Atque adeo in disyllabis etiam nonnullis idem quod in præcedentibus contigisse sciendum est. Nam ex Soror primi Galli (vt ex quibusdam vetustiss.scriptis didici)dicebant *So-*

reur: quod tandem mutatum fuit in *Sœur*.

Itidem verò *Rençon* initio ex nomine Redemptio factum fuisse, haud crediderim: sed *Redemçon* primò, deinde vocem illa etiam breuiorem placuisse, *Remçon*. Ac ne *Couſin* quidem primis linguæ noſtræ temporibus in vſu fuiſſe puto, ſed *Conſanguin*: ex quo factum fortaſſe fuit *Conſguin*, quod durum quum eſſet, mutatum fuit in *Couſin*. Tandem verò, mutata *n* in *u*, placuit dicere *Couſin*. Minimè autẽ caret exemplo hæc literæ *u* pro *n* vſurpatio, præcedente itidem *o*. Nam *Couuent* etiam paſſim audimus, quum tamen *Conuent* dicendum eſſe conſtet, ex Conuentus, reſtricta videlicet huius vocabuli (vt in aliis pleriſque vſuuenit) ſignificatione. Sed ad illa duo *Redemçon* & *Conſanguin*, vt reuertar, idem & de multarum vrbium nominibus ſentiendum puto: nimirum ea initio talem ſyncopen, qualem nunc in illis cernimus, paſſa non fuiſſe. Exempli gratia, minimè crediderim iam olim AVTVN dictum fuiſſe, ſed AVGVSTODVN: ex Latino AVGVSTODVNVM. quod AVGVSTODVN proceſſu temporis fuerit *συγκεκομμένον* in AVGDVN: tandem verò ablata litera G, & poſita T pro D, mutatum in AVTVN. pro quo tamen ſunt etiam qui AVSTVN ſcribant, literam S, tanquam vnam ex characteriſticis retinentes: licet alioqui productionis ſyllabæ ſit index potius quàm pronuntietur. Sic certè non MELVN, ſed MELODVN, dictum olim

olim fuisse arbitror, ex Latino MELODVNVM. Itidémque de nomine MILAN sentio, id primis maioribus nostris in vsu non fuisse: verùm MEDIOLAN, ex quo tandem factum sit MILAN. Quam vocem vt iam olim in vsu fuisse negem, hoc etiam adducor, quòd cum nomine auis quæ Miluus seu Miluius dicitur, homonymiam habeat. nos enim hanc *Milan* itidem appellamus, quod tamen fortasse ex *Miluan* (*u* consonante) per deprauationem factum fuit.

Verùm, vt à propriis nominibus ad appellatiua redeam, quoniam in hunc sermonem incidi de iis quæ olim aliter dicta fuerunt, addo, alia quidem esse multa, de quibus vetusta scripta nobis hoc confirmant: sed præter hæc, non pauca etiam esse de quibus idem suspicari liceat: atque adeo nonnulla variè fuisse mutata, antequam ad nostrum seculum peruenerint. Exempli gratia, pro *Nepos* dictum fuisse primùm *Nepot*, credibile est: deinde, *Nepeut*: postremò mutando *p* in *u* (sicut in aliis compluribus mutatum videmus) *Neueut*. sed tandem neglectam hanc etiam finalem literam fuisse, & *Neueu* dici cœpisse: pro quo malè multi Delphinates *Neueur* cum *r* pronuntiant. Ex Neptis autem factum initio fuisse *Niepte* (nimirum addita litera *i*, vt in *Fievre*, ex Febris: & in *Miel*, *Fiel*, ex Mel & Fel: aut transposita, vt in *Hier*, ex Heri) postea verò pro *Niepte*, dictum fortasse fuisse *Niete*: ex quo sit nostrum *Niece*.

APOCOPES autem exempla, consonantis quidem, rara esse puto (lubenter enim vocabula nostra consonante terminamus: sic tamen vt Latinam interdum in aliam mutemus: & quidem plerunque s in t. veluti quum pro Latino Arrogans dicimus *Arrogant*, pro Parens, *Parent:* pro Mors, Sors, *Mort, Sort.*) at verò vocalis syllabã efficientis, interdum quidem (in verborum infinitiuis) eius quæ ordine tertia est: vt in *Mentir, Mourir, Partir*, ex Mentiri, Moriri, (quod in vsu fuit olim pro Mori) Partiri. Frequentius verò eius quæ secunda est: vt in *Perir, Ferir:* in *Aimer, Porter, Appeler, Saluer*, atque aliis quæ eiusdem sunt classis. Fiunt enim ex Latinis habentibus *r* in fine: quũ illa sciamus ex his sumpta esse, Perire, Ferire, Amare, Portare, Appellare, Salutare. Quod non itidem in aliis omnibus fit coniugationibus. Dicimus enim *Lire, Eslire, Luire, Duire*, ex Legere, Eligere, Lucere, Ducere: itidémque ex *Duire* composita, *Induire, Reduire, Produire:* ex Inducere, Reducere, Producere.

Duarum autem aut plurium literarum syllabam efficientium: in nominibus quidem, vt in *Mol.* est enim ex Mollis deductum. Sic in *Port*, ex Portus: in *Fort*, ex Fortis: *Mur*, ex Murus: & *Dur*, ex Durus: in *Nid*, ex Nidus: in *Ris*, ex Risus. item in *Fil*, ex Filum: in *Festu*, ex Festuca: in *Dam*, ex Damnum. Eodem certè modo metallorum nomina, quum in Galliam transirent, syncopen passa esse videmus. Nam Aurum, Argentum, Ferrum, mutata fuerunt in *Aur, Argent,*

gènt, *Fer.* Verùm non *Aur*(vt à maioribus noſtris olim dictũ fuiſſe puto, quòd hanc ſcripturam in quibuſdam veteribus libris inuenerim) ſed *Or* nunc dicitur. Apocope autem in verbis, vt in *Reſpond, Tond, Mord, Put.* ſunt enim facta ex Reſpondet, Tondet, Mordet, Putet. Quinetiam in aliis quæ huius non ſunt coniugationis. vt in *Tend, Rend, Prend:* ſunt enim ex Tendit, Reddit, Prendit. Hîc enim eſt apocope, non ſyncope: (ſicut viciſſim ſyncope, vt antea docui, non apocope, in infinitiuis, *Tendre, Rendre, Prendre.* quum ſint ex infinitiuis, Tendere, Reddere, Prendere.) Cæterùm illis Apocopes exemplis quæ in nominibus eſt ac verbis, adiici vnum poteſt cuiuſdam quam in aduerbio habemus. Dicimus enim *Onq*, ex Latino Vnquam. At verò *Donq*, quod adiectitiam literam habet, pro *Don*, eſt è Græco οὠ ſumptum, vt docui in tractatu de Gallicæ linguæ cum Græca conuenientia.

Quædam etiam apocopen vnà cum aphæreſi paſſa ſunt. Sed vnius tantùm recordor, *Rys*, ex Oryza. quod tamen (vt antea dixi) inter Græca vocabula potius numeratur. At verò nominis ſyncopen ſimul & apocopen paſſi exemplum ſuprà attuli, *Rond.* eſt enim ex Rotundus. Similem quidem apocopen, ſed abſque ſyncope, habemus in *Second*, ex Secundus. Cæterùm animaduertendum eſt, in omnibus fere vocabulis ὑποκειμένοις, quæ in exemplum attulimus, ſeruari conſonantem quæ in Latina voce ſecundæ

syllabæ initium est. In omnibus, inquam, præterquam in tribus, *Mol, Festu, Dam.* Quanquam de hoc vltimo dubitari potest. Si enim ex Græco δαπάνη factum est Latinum Damnum, (vt ego certè persuasum habeo) litera *m* cum sequentibus iungenda est ad efficiendam posteriorem syllabam.

NEC verò vna tantùm syllaba ἀποκόπτεται, sed interdum duæ, aut etiam plures. Nam (vt illa ipsa verba quæ modò proposui, in exemplum sumam, sed non in eadem persona) quum dicis *Respond*, ex Respondet factum, vnam tantùm syllabam ἀποκόπτεις: quum item *Ris*, vel *Rit*, ex Rides & Ridet, vnicam ἀποκόπτεις, vel potius συγκόπτεις: at quum dicis *Je respon*, *Je ri*, duæ posteriores syllabæ verborum Respondeo & Rideo à te resecantur. Sic etiam duæ posteriores syllabæ verbi Dormio, quum dicis *Je dor*: pro quo plerique & scribunt & pronuntiant *Je dors*, quanuis litera *s* ad secundam personam propriè pertineat, vt ad tertiam: id est, hæc quidem tertiam, illa verò secundam claudere debeat.

Sic certè in quibusdam aliis vocabulis duas posteriores Latinæ vocis syllabas ἀποκόπτεσθαι videmus. Nam pro Angelus dicimus *Ange:* pro Fatuus, *Fat:* pro Batuit, *Bat:* pro Mortuus, *Mort.* Quinetiam pro Sordidus, *Ord.* Obserua autem, in istis omnibus (sicut & in omnibus ferè præcedentibus exemplis syncopes quæ vnius tantùm est syllabæ) præterquam in primo, retineri consonantem quæ in Latina voce principium

penultimæ

penultimæ ſyllabæ eſt. Sic verò pro Panicum, Milium, Tilia, Lilium, dicimus, facta tali apocope, *Panic*, *Mil*, *Til*, *Lil*, pro quo malè ſcribi ſolet *Lis*: vt vel ex duobus præcedentibus appareat. Sed quum in omnibus quæ hactenus attuli exemplis ſimplicem apocopen habeamus, hanc de illa tractationem inſigni cuiuſdam quæ duplex eſt exemplo claudam. Ea eſt in vocabulo *Picmar*, quod auis cuiuſdam eſt nomen, quam Latini Picum Martium appellarunt, Plinius Picum arborarium: Græci δρυοκολάπτην: cuius vocabuli ſignificationi planè reſpondet nomen illi à Picardis impoſitum, *Becquebo*, quod compoſitum eſt ex verbo *Becquer* (ſiue *Bequer*) ex quo etiam *Becquefigue*: & vocula *Bo*, idem ſignificante quod cæteris Gallis *Bois*, id eſt Lignum. Vocamus autem & *Piuerd* eandem auem, q. d. Picum viridem. Sciendum eſt porrò, ſicut *Piuerd* pronuntiatur potius quàm *Picverd*, ita etiam *Pimar* potius quàm *Picmar* à pleriſque ſcribi, atque adeo proferri. Sed manifeſta eſt in hac etiam pronuntiatione deriuatio è duabus illis Latinis vocibus Picus Martius: quæ quoniam ambæ ἀποκόπτονται, ad efficiendum nobis illud auis nomen, ideo duplicem in eo eſſe apocopen dixi.

Cæterùm & quaſdam ſibi peculiares apocopas habere vulgus ſciendum eſt: (ſicut & ſyncopas) quarum è numero eſt vocula *Ro* (cuius antea mentionem feci) pro *Roſti*. quum dicunt, *Nous mangerons du ro*. Sed animaduertenda ſi:

mul in hoc vocabulo mutatio literæ T in R, quum sit à Latino Tostum.

DE GALLICIS VOCABVLIS QVAE EX LATINIS per literarum traiectionem seu transpositionem facta sunt.

QVANVIS vltimum traiectioni literarum (alium quàm in mea partitione ordinẽ sequens) dederim locum, non vltima tamen eius cognoscendæ cura esse debet ei qui originis Gallicarum vocum notitiam habere cupit. Quædam enim Latinorum vocabula sunt quæ quum Gallicis ortum dederint, hoc tamen nemo, nisi animaduersa transpositione, sibi persuadere possit.

Primùm igitur sciendum est, quum Latini à Græcis dissenserint in terminatione nominum propriorum, quæ *r* in vltima syllaba habent, nos contrà Græcis assensisse. Quum enim Græci Ἀλέξανδρος dicant, Latini autem Alexander, nos literam *r* non postponentes, vt hi, sed præponentes, vt illi, dicimus *Alexandre*. Sic autem in Magister literam hanc postponentes, dicimus *Maistre*. Quinetiam in *Libre* & *Livre* (hoc librum, illo liberum significante) eandem transpositionem videmus. Itidémque ex Vesper fecimus *Veſpre*: ex Asper, *Aſpre*: ex Salubèr, *Salubre*: ex Campester, *Champeſtre*: ex Noster, Vester, *Noſtre*, *Voſtre*: ex Dexter, Sinister, *Dextre*, *Seneſtre*. Alicubi etiam cum præcedentis literæ mutatione:

tatione: vt in *Aigre* & *Alaigre*, ex Acer & Alacer: aut literæ interpositione, vt in *Tendre*, ex Tener. Atque adeo post hanc literam D lingua nostra literas illas RE sic amat, vt auferat vocalem E ex infinitiuis multorum Latinæ linguæ verborum, quò syllabam DRE efficere possit. dicit enim *Prendre*, *Rendre*, *Tendre*, *Tondre*, *Respondre*, ex Prendere, Reddere, Tendere, Tondere, Respondere: idémque & in aliis multis facit.

Etiam literam *o* transpositam alicubi cernimus: vt in *Soer*. est enim ex Sero. Ideóque cur potius *Soir* quàm *Soer*, scribi debeat, non video: modò *oe* non aliter hîc coalescere sciamus quàm illic *oi*.

Sed (quantum obseruare potui) nulla vocalis, atque adeo nulla litera in tot vocabulis transposita cernitur in quot vocalis I. Nam ex Materies fecimus *Matiere*: ex Salarium, Armarium, Inuentarium, Commentarium, fecimus *Salaire*, *Armaire*, *Inuentaire*, *Commentaire*. Itidémque aliis eandem cum illis terminationem apud Latinos habentibus, eandem cum his in sermone nostro dedimus: vt videbis vbi de analogia à nobis seruata differam.

Tales autem propemodum locos occupasse videri potest huius literæ transpositio, in *Maison*, *Venaison*, *Oraison*, *Raison*: quum sint à Mansio, Venatio, Oratio, Ratio. Nonnulli tamen adiciam potius esse in illis nostris vocibus hanc literam existimant: vt paulo pòst docebo.

Vt autem à nominibus ad verba veniam, si in Ferit & Quærit transponas illam vocalem *i*, ex Latinis efficies Gallica *Fiert* & *Quiert*. Est autem valde vsitatum in veteribus scriptis illud *Fiert*: nos *Ferir*, & participiũ *Feru*, magis quàm illam tertiam præsentis indicatiui personam singularem, in vsu habemus.

Itidem verò si in imperatiuo Veni literam illam ante *e* ponas, ex Latina voce Gallicã *Vien* efficies. Atq; hac ipsa transpositione vtens, ex Latinis Venit, Cõuenit, Gallicas habebis, *Vient*, *Conuient*. Sic verò & aduerb. *Mieux*, ex Melius.

Sed enim esse etiam quædam sciẽdum est quæ quũ literã *i* ex traiectione habere videri queant, alij eam aduentitiam seu adiectitiam esse volũt. Talia sunt, *Hier*, *Fievre*, *Tiede*: ex Latinis, Heri, Febris, Tepidus. Quibus adiici posse arbitror *Niepce*, ex Neptis. Fortasse autẽ hoc eos mouet, quòd in aliis quoque multis è Latino sermone sumptis hanc literã habemus, quæ tamen in eo non est: vt ostendi quum de Epenthesi agerem. Hanc ob causam nolui etiam vocabulum *Pain*, ex Panis, in exemplum afferre: quum & in *Vain*, ex Vanus, eam ponamus: & in *Laict*, ex Lac, vel potius ex prisco Lacte: nisi ex aliquo obliquorum alterius vocis casuum factum dicere malimus. Atque adeo nonnulla quæ sunt à Latinis literam istam non habentibus, in Gallico sermone & cum ea & absque eà scribuntur. è quorum numero est vocabulum quo Breuis significatur, nam & *Brief* & *Bref* dicitur: sic tamen vt

Brief

Brief magis antiquum esse existimem. Id autem ex eo coniicio quòd itidem magis antiqua scriptura existimetur *Lieve* quàm *Leve*: vt dixi pagina huius libri XXXI.

Verùm quod de vocabulo *Pain*, aliisque nonnullis, etiamsi sint à Latinis literam istam habentibus, dicere nolim, non video cur de *Hier*, *Fievre*, *Tiede*, *Niepce*, dicere non liceat: ac præsertim de illo primo, *Hier*. Sed & in *Niepce*, vt ex transpositione esse credamus hoc facit, quòd eam vox *Neueu* non habeat, qua Nepos significatur: habitura certè itidem, si in *Niepce* extrinsecus assumpta esset.

Eadem porro dubitatio & de illis mouetur, *Maison*, *Venaison*, *Oraison*, *Raison*, quæ sunt è Latinis, Mansio, Venatio, Oratio, Ratio. Possétq; itidem moueri de aliis nonnullis quæ sunt à Latinis in TIO similiter desinentibus. Quorum è numero sunt, *Comparaison*, ex Comparatio, & *Liaison*, ex Ligatio. Quòd si quis eandem terminationem in aliqua voce inueniat, quæ tamen non itidem è Latino sermone petita dici queat; respondebo, eam ad exemplum earum quæ inde sumptæ erant, factam fuisse. Atque hæc quum ita sint, nullum illi dubitationi locum relinqui existimo.

Cæterùm quædam etiam sunt transpositiones cum mutatione literæ aut etiam literarum coniunctæ, quæ facit vt illæ vix animaduertantur. In hoc est numero vocabulum *Senglot*, ex Singultus. In illo enim *Senglot* transponitur li-

tera *l*, sed mutando simul *u* in *o*, & *i* in *e*. Alioqui, si absque mutatione vllius literæ fieret transpositio, diceretur *Singlut*, ex Singultus. Quidam certè non *Senglot* sed *Senglout* pronuntiant: & multi *a* in prima syllaba potius quàm *e* sonant. Non dubito autem quin *Singlot*, aut *Singlout*, (retinendo primam Latini vocabuli syllabam) dictum initio fuerit.

Libet autem hunc de traiectione seu transpositione literarum tractatum exemplo quodam finire traiectionis, quæ si facta est, non in Latino sed Græco vocabulo est facta. Loquor enim de nomine *Rogue*: quod licet è Latino Arrogans ortum habere antea dixerim, video tamen non minus aptè è Græco ὀργὸς posse deriuari: vt in hac deriuatione transpositio facta dicatur, sicut in illa factam esse aphæresin primæ syllabæ dicendum erat.

QVID si verò, quandoquidem in mentionem incidi illius vocabuli Græci, è quo nostrum originem habere haud absimile vero est, Latinos ipsos idē in Græcis pleriſq; ausos esse, id est, literas in illis itidem transposuisse, ostendam? Iucundum (ni fallor) non minus Græcæ linguæ amatoribus quàm iis qui Latinæ sunt studiosi, fuerit istud ἐπεισόδιον. Sumam autem id οἰκοθεν, nimirum ex meo DE GRAECANICA LATINITATE libro: quem fortasse nunquam, sicut nec quosdam alios à me publicæ vtilitati destinatos, in publicum

cum prodire continget: adeo multa mihi quotidie auocamenta ingruunt. Ac faciet sanè hic metus vt hanc saltem ex eo decerptam particulam libentius superioribus adtexam.

Dico igitur, minimè nouas debere videri tam multas transpositiones quas maiores nostri sibi permiserunt quum Latina vocabula suum ad vsum accommodare, vel (vt breuius loquar) è Latinis Gallica facere vellent: atq; eam adeo cuius modò mentionem feci, quum *Rogue* ex γοργὸς oriundum videri posse dicerem. Ecce enim Latina, Rapax, Forma, Decus, Saliua, Lac, (vel potius Lacte) per transpositionẽ itidem facta ex his Græcis, Ἅρπαξ, Μορφὰ, Κῦδος, Σίαλος, Γάλα. Verùm ad hoc quod attinet, transpositionem eũidentiorem habebis si genitiuũ γαλακτος aut datiuum γάλακτι consideres, in quibus sunt κ & τ, sicut in prisco illo Lacte habes c & t. Illis autem addi possunt, Pulmo, Tener, Paruus, Meus, Lædo: ex Πλεύμων, Τέρην, Παῦρος, Ἐμὸς, Δηλέω, quod in Δηλῶ contrahitur. Item particularum Num & Item, ex Μῶν & Ἔτι.

Atque adeo, si ex Græco Μέλι, non ex Latino Mel, nostrum *Miel* feciſſe dicamur, litera ι ex sua sede in aliam traducta, (quanuis hanc literam in multis per epenthesin etiam nos posuisse ostenderim) ipsos nobis exemplum Latinos præbuisse respondebimus, in suo vocabulo Piper. Talem enim literæ huius traiectionem sibi permisisse videri possunt, quum ex Πέπερι Piper fecerunt: sed aliquid etiam vlterius ausi, nimi-

rum literam ε expungere, quum ι in eius locum substituerent. Scio alioqui, non defuturos etiam qui Latinos, Piper ex illo Πέπερι facientes, non literam ι ex fine ad principium transtuliſſe, ſed priorem ε in hāc ipſam mutauiſſe, malit dicere.

Sed quidni vlterius progrediar, & Latinos non literarum traiectionem ſolùm in Græcis vocabulis, ſed alia etiam ferè omnia quæ in Latinis licere nobis voluimus, ſibi permiſiſſe oſtendam? Id faciam certè, ſed ita vt plenam tractationem alij tempori (ſi fortè vnquam commodius aliquod dabitur) reſeruem.

Protheſeως igitur exempla pauca inueniri fateor: ſed Aphæreſeως (nam Aphæreſin opponi Protheſi volunt, & Aphæreſin dici in principio, vt Apocopen in fine) multa extare dico. Ex quibus ſunt, Remus, Dens, Mulgeo: quum facta ſint ex Ἐρετμὸς (ſicut pluralis, Remi, ex Ἐρετμοίς hanc enim terminationem ſequuti ſunt Latini in formanda voce ſua, non alteram quæ eſt in Ἐρετμά) ex Ὀδούς, ex Ἀμέλγω. Atque ad Ὀδούς quod attinet -δούς, quod remanſit poſt literæ ο aphæreſin, in Dens mutatum eſſe non mirabere, quum ex Νοῦς itidem factum eſſe Mens conſiderabis. Cæterùm ſi exemplum quæratur aphæreſeως ſyllabæ etiam non ex ſola vocali conſtantis, ſed ex ea quæ conſonanti adiuncta ſit, inuenietur in Mos: quum ſit ex Νόμος.

Epentheſi autem vſi ſunt cum aliarum literarum, tum verò earundem alicubi quæ & à nobis ipſorum vocabulis παρεντεθεῖσαι cernūtur. Nam

vt lit-

vt literam D quibusdam verbis interiecerunt, quorũ sunt, Cludo (ex quo composita Includo, Concludo, Excludo, Præcludo) & Tendo, ex Κλείω & Τείνω: ita nobis (id est nostris maioribus) visum fuit, ex vocabulo illorum Tener, interiecta illa ipsa consonante, facere *Tendre*.

Syncopes verò exempla habemus multa: ex quorum vno in memoriam redibis vnius nostrorum. Sicut enim ex μόρος fecerunt Mors, ita nos ex illorum vocabulis Mortes & Mortui fecimus *Mors*. In horum autem Syncopes exemplorum numero ponẽdum censeo & Superbus. planè enim persuasum habeo esse ex ὑπέρβιος. Retinuerunt tamẽ vocalem ι (hîc συγκεκομμένως) in substantiuo Superbia.

Apocopes non minus forta sse frequentia exempla sunt. Atq; ex iis in quibus non absq; alicuius literæ mutatione facta fuit, vnum est in vocabulo Marmor: quum sit à Μάρμαρον.

Quinetiam nostræ literarum mutationes pleræque mutationibus illorum similes comperientur, siquis diligenter inquirat. Sed hoc vnum addo, nos alicubi Græcam quàm Latinam sequi linguam maluisse. Nam quum Latini ex Græco Κύκλος fecissent Circulus, nos quidem literam R itidem interiecimus nostro vocabulo, sed inter literas *cl* quæ ex Græca sunt voce, haud similiter interiicere vocalem v placuit. Libuit enim, partim Græcum nomen Κύκλος, partim Latinum Circulus, sequendo, dicere, *Cercle*. Ab illis discessimus & in illa literæ R trãspositione

qua vtuntur, quũ Alexander dicunt. magis enim (vt antea docui) placuit *Alexandre* dicere, cum Græcis, ex quorũ ore audimus Ἀλέξανδρος. Deniq; illa literæ N apocope quæ in multis vocib. illis placuit, nobis contrà displicuit. Neq; enim pro Σίμων & Λέων dicere libuit *Simo* & *Leo* vel *Lio*, sed *Simon* & *Leon*, siue *Lion*. Vtrunque enim dicitur: sed *Lion* vulgo magis in vsu est: ac certè ista à vulgo facta literæ mutatio obtinuit in fœminæ nomine. omnes enim propemodum *Lionne* dicunt, non *Leonne*.

DE ANALOGIA A MAIORIBVS NOSTRIS SERVATA in formandis ex Latino sermone vocabulis.

NON parum vtilitatis pariter & voluptatis analogiæ quoque consideratio affert: analogiæ inquam seruatæ in formandis è Latino sermone Gallicis vocabulis. Varia itaq; eius exempla, primùm quidem in Nominibus, postea verò & in Verbis, proponam.

In NOMINVM igitur è Latino sermone sumptorum formationibus analogiam pulchrè seruarunt maiores nostri, quum vt ex Anima fecerunt *Ame*, ita ex Lamina, *Lame*: & ad horum exemplum Domina verterunt in *Dame*.

Quum item è Fragilis fecerunt *Fraisle*, sicut è Gracilis, *Graisle*. quæ tamẽ vulgõ (nõ habita deriuationis ratione) cum *e*, nõ cum *ai*, scribuntur, *Fresle*

Freſle & *Greſle*.

Necnon quum vt Acer in *Aigre*, ita Alacer in *Alaigre*, Macer in *Maigre* transformarunt.

Analogiam pulchrè ſeruarunt & in his, *Eſtaim* & *Eſtraim*: quum Latina Stamen & Stramen vnius itidem ſint formæ.

Nec minus in his vocabulis, *Mil*, *Lil*, *Til*. ſunt enim ex Latinis quæ & ipſa vniformia ſunt, Milium, Lilium, Tilia. Scio tamen à multis hodie non *Lil*, ſed *Lis*, ſcribi pariter & pronuntiari: ſed quin veram eſſe alteram illam & pronuntiationem & ſcripturam, vel ex collatione cum reliquis duobus, cognituri ſint, minimè dubito. Non abſimilem autem his formam habet *Panic*, ex Panicum.

Formata ſunt ἀναλόγως hæc quoque, *Ieu* & *Feu*, ex Iocus & Focus. (quanuis alioqui *Feu* ex Græca petitum lingua videri queat) & ex iis quæ literæ *i* epentheſin habent, *Dieu* & *Lieu*, ex Deus & Locus.

Idem de his quoque fatendum eſt, *Armaire*, *Salaire*, *Inuentaire*, *Commentaire*, *Formulaire*, *Breuiaire*, *Sanctuaire*, ex Armarium, Salarium, Inuentarium, Commentarium, (ſeu Commentarius) Formularium, Breuiarium, Sanctuarium. Quibus adiungi poteſt *Douaire*, tanquam ex Donarium. Quinetiam quædam maſculina in ARIVS itidem deſinentia, nos ἀναλόγως in *aire* terminauimus. Nam pro Vicarius, Tributarius, Stipendiarius, Librarius, placuerunt nobis, *Vicaire*, *Tributaire*, *Stipendiaire*, *Libraire*. Cæterùm

quemadmodum paulo antè dicebam de nomine *Lil*, hanc esse veram eius scripturam, vel ex collatione cum reliquis ἀναλόγως formatis posse cognosci: ita etiam de *Inuentaire* meritò dixerim, quum tamen multi *Inuentoire* proferant.

Non absimilem autem formationem habẽt, *Gloire*, *Memoire*, *Histoire*, *Foire*, ex Gloria, Memoria, Historia, Foria.

Spectatur certè analogia & in illis, *Maison*, *Venaison*, *Oraison*, & aliis quorum in capite de traiectione facta fuit mentio (quibus tamen addi multa possunt) quæ à Latinis in SIO vel TIO desinentibus ortum habent.

At verò exempla analogiæ in VERBORVM formationibus seruatæ, fuerint, *Findre*, *Tindre*, *Pindre*, *Cindre*, ex Fingere, Tingere, Pingere, Cingere: & *Poindre*, *Oindre*, *Ioindre*, ex Pungere, Vngere, Iungere.

Bellè & in compositis seruari analogiam videmus: id est, eandem quam simplici ex quo facta sunt, dari formam: & quidem melius interdum quàm in sermone Latino. Quum enim simplex sit Aperire, composita sunt Cooperire & Discooperire: (quod posterius rarum est) at in nostro sermone, cõposita *Couurir*, *Descouurir*, *Recouurir*, simplicis *Ouurir* formam retinent.

Alicubi etiam non aliam verbo quàm nomini formam dederunt, quum hanc in Latino sermone eandem esse viderunt. Exemplum habemus in verbo *Pais*, ex Pascis. Itidem enim ex Fascis fecerunt *Fais*. Sed quum sit etiam verbum

Fais,

Fais, ex Facis, potius *Faix* pro Fascis scribitur.

Spectari Analogia potest in aliis item in quibus est alia syncope: id est, quæ alio eam modo passa sunt: nec minus in iis in quibus facta fuit apocope: in iis item in quibus transponi literas contigit. Quum autem omnium exempla paulo antè proposuerim, ad ea te remitto.

NEQVE tamen ἀναλόγως omnia formari dico. Nam ex Concordia & Discordia fecimus *Concorde* & *Discorde*, itidémque *Misericorde* ex Misericordia: quanuis ex Verecundia fecerimus *Vergongne*. Quibus exemplis adiicere alia facile tibi fuerit.

ADMONITIO DE IIS QVAE MVLTARVM VOcum Gallicarum originem occultant.

MVLTA sunt è Latino sermone oriunda vocabula, quæ primo aspectu hunc ortum præ se non ferunt: sed multa sunt vicissim à quibus, vel potius à quorum aliquo origo eorum nobis occultatur. Quæ autem hæc sint declarabo, sumpto ab ea orationis parte quam Verba vocamus, initio.

Verba igitur non pauca ideo è Latinis esse facta non animaduertimus, quia Latina primitiua consideramus, quum frequentatiua considerari debeant, quæ primi autores nostri sermonis valde amarunt. Exempli gratia, nostrum

Preſſer non videtur eſſe ex Latino ſermone petitum, quòd longè abſit à Latina voce Premere: verùm quum verbi Premere frequentatiuū eſſe Preſſare cogitabis, noſtrã illam vocem quæ à Latino ſermone procul abeſſe tibi videbatur, propè abeſſe ſtatim fateberis. Sic etiam in *Oppreſſer* non ad Opprimere ſed ad Oppreſſare reſpicere debemus. Sic in *Offenſer*, non ad Offendere, verùm ad Offenſare. Sic *Raſer* non à Radere eſt, ſed à frequentatiuo Raſare: ex quo natum eſt aliud, videlicet Raſitare. Sic *Penſer* non à Pendere, ſed à Penſare. (vſi ſunt autem Latini hîc quoque ſecundo etiam frequentatiuo, Penſitare dicentes) Sunt tamen quædam eiuſdem terminationis quorum originem ab alia quapiam lingua repetere oportet. Atque ex illis eſt *Amaſſer*. hoc enim non à quapiam Latina eſt voce, ſed à Græca ἀμᾶσθαι. Sed & alia frequentatiua, id eſt aliam καταλῆξιν habentia, illis placuerunt: & ea quidem nominatim quæ in C T O deſinunt. Ideóque *Ietter* dixerunt, non ex Iacere ſumentes, ſed ex Iactare. vnde manſit illa per *tt* ſcriptura: quanuis perinde pronuntietur acſi *Ieter* aut certè *Ietter* ſcriberetur.

Ad iſtorum autem Latinæ linguæ frequentatiuorum ſignificationem quod attinet, ſciendum eſt linguam noſtram in nonnullis eam planè retinere: ex quibus eſt Preſſare. nam & apud Virgilium & apud Propertium aptiſſimè interpretaberis Preſſare, noſtro *Preſſer*. Apud Plautum quoque, etiam vbi non itidem Preſſare aliquid

quid sed Pressare aliquem dicitur. Multa autem eiusmodi exempla meus DE LATINITATE FALSO SVSPECTA liber tibi suppeditabit.

Amarunt iidem illi verba ex Nominibus verbalibus facta. dixerunt enim *Augmenter*, *Fomenter*, *Tormenter*, non ab Augere, Fouere, Torquere: sed ab Augmentare, Fomentare, Tormentare. Vtitur autem verbo Augmentare Firmicus: nec dubito quin & reliquis duobus vsi quipiam ex recentioribus scriptoribus fuerint: quanuis semibarbara nobis primo aspectu, vel potius primo auditu, videri possint.

Amarunt autem in Nominibus formam diminutiuam. Nam *Aureille*, siue *Oreille*, *Corbeille*, *Aueille*, siue *Abeille*, non ex Auris, Corbis, Apis, sed ex Auricula, Corbicula, Apicula, facta sunt. Et *Corneille*, non ex Cornix, sed ex Cornicula. Et *Mamelle*, non ex Mamma, sed ex Mamilla. (pronuntiant tamen aliqui *Mammelle* cum duplici *m*, quod certè videmus esse in primitiuo Mamma) Adeo quidem certè vt etiam diminutiuorum quorundam Latinorum, quorum exempla ex nullo scriptore habemus, vestigia in nostra lingua remaneant. Turturella enim ex nullo affertur (quod sciam) & tamen *Tourterelle* ex eo factum esse manifestum est. Ac ne Corbicula quidem in Vocabulariis sed tantùm Corbula affertur.

Verùm in quibusdã vix etiam vestigia diminutiuæ huius formæ apparent: quum tamen ea

quoq; à Latinis talem formã habentib. esse consistet. Exempli gratia, nomen *Grille* vix quicquam ex vllo Latinæ linguæ diminutiuo retinere videtur: & tamẽ est à Latino diminutiuo Craticula. Sed quũ ex Craticula factũ primò fuisset *Craticule*, atq; id progressu tẽporis mutatũ esset in *Cratille*, postea per syncopen dictũ fuit *Crille*, deinde & litera c in g versa *Grille*. Verùm ne hac quidem syncope & mutatione contentum fuit vulgus, sed apocope etiam vsum; ausum est ex disyllabo facere monosyllabum *Gril*. Ita Craticula ex *Craticule* in *Cratille*, ex *Cratille* in *Grille*, ex *Grille* in *Gril* transiit: sic tamen vt non minus illud tertium quàm hoc quartum in vsu sit.

Nonnunquam etiam vtramque Latinorum vocem, id est, tam primitiuam quàm diminutiuam, sermoni suo accõmodarunt. veluti quũ ex Nauis *Nauire*, ex Nauicella, *Nacelle* fecerunt.

Nec verò diminutiuam formam in fœmininis substantiuis tantùm, qualia sunt hæc, consectati sunt: sed in iis pariter quæ masculini vel quæ neutrius generis sunt. Nam *Coultel* ex Cultellus, non ex Culter, & *Chastel*, non ex Castrũ, sed Castellum, fecerunt. Atque adeo quod in substantiuis, in adiectiuis quoque illis placuit. Nam *Nouuel* ex Nouellus non ex Nouus fecerunt. Sed pro hac in *el* terminatione, quæ sola maioribus nostris in vsu erat, alia in *au* ab eorum posteris vsurpata fuit. Siquidem pro *Coultel*, *Chastel*, *Nouuel*, dixerunt *Couteau*, *Chasteau*, *Nouueau*. Sic tamen vt in quibusdam, præsertimque

vimque in adiectiuis, vtrumque vsurpare sibi permiserint. Nam & *Nouuel* dicunt & *Nouueau:* sed hoc, sequente consonante: vt, *C'est vn nouueau vestement*, illud, sequente vocali: vt, *C'est vn nouuel accoustrement:* vel, *Vn nouuel habillement.* nullum enim hîc sonum edit litera *h*, ideóque non minus præfigitur *nouuel* quàm si *abillement* scriberetur. Sic autem & *Bel* & *Beau*, & alia itidem multa in vtraque terminatione vsurpant.

Cæterùm ex his adiectiuis Latinis quædã alio etiã modo in lingua sua terminarunt. nã ex Satullus fecerunt *Satoul*, quod postea in monosyllabum *Saoul* σωιτιζόμενον: ex Vetulus autem, *Vetul*, aut potius *Vietul* (vtendo illa literæ *i* interpositione, quã in multis aliis nominibus vsitatam illis fuisse ostẽdi) quod postmodo in *Vieul*, tandem & in *Vieu*, abiecta litera *l*, mutatum fuit. Et hæc quidem est vulgi pronuntiatio, aliquando & *Vieux* proferentis, quum videlicet sequitur vocalis: sed qui è vulgo non sunt, & emendatius loqui existimantur, dicunt *Vieil:* quæ terminatio cum fœminino *Vieille* conuenit.

ALIA sunt non pauca quæ nobis originem quorundam vocabulorum absconderunt. Ex eorum autem numero est illa Latini *C* in *Ch* mutatio, cuius antea mentionem feci: præsertim verò vbi alia mutatio interuenit. Exempli gratia, quum ex Carmen fecimus *Charme:* ex Calamus, *Chalumeau:* ex Culmus autem *Chaume*, (pro quo scribitur vulgo *Chaulme*, quanuis *l*

non pronuntietur) ſicut ipſi Latini ex καλαμος quidem, illud, ex καλάμη autem hoc fecerant. Sed multo etiam minus vocabulum *Chaſſe* (à quo eſt *Enchaſſer*) eſſe à Latino Capſa, aliquis ob duplicem mutationem deprehendat. Sed ſi hoc nomen cum aliis conferamus, in quibus itidem *C* in *Ch* mutatur, & cum nonnullis in quibus *pſ* in *ſſ* vertitur, tum certè quin ex eo factum ſit non dubitabimus. Sic etiam quum multa vocabula in quibus *i* Latinum in *e* mutatur, & ſyncopen quam pleraque paſſa ſunt, conſiderabimus, voculam *Net* eſſe ex Latina Nitidus, nobis perſuadebimus.

Quædam nomina ideo etiam non animaduertuntur è Latinis ortum habere, quòd nominatiuum Latinum conſideremus, quum obliquos conſiderare oporteat. Nam ſi nominatiuum Lepus conſideremus, mirabimur vnde *r* in noſtro *Lievre*: at ſi Leporis, aut Lepori, aut Leporem intueamur, in his *r* inueniemus. Ad cæteras autem duas mutationes quod attinet, primùm quidem *i* primæ aliorum multorum ſyllabæ interiectum vidimus in præcedentibus: deinde verò *p* in *u* itidem mutantia non pauca cõmemorata à nobis fuerunt. Cæterùm quod de hoc, idem & de *OEuure* dici poteſt, pro *OEupre*, facto ex genitiuo Operis, vel datiuo Operi. Et verò ſi in voce noſtra *Hoſte*, qua Hoſpes ſignificatur, idem faciamus, non erit cur eam ex Latino vocabulo Hoſtis per abuſum factam eſſe putemus. Nam ſi ex Latino Hoſpite literas *p*

& *i* per syncopen detrahas, habebis illam nostram vocem *Hoste.*

Ibi verò præsertim hærere aliquem mirum non est, vbi duæ voces Latinæ in vnam coaluerunt: vt in *Verglas.* Nam hoc ex Viridis & Glacies conflatum fuit: quoniam talis glacies ad viridem colorem vergit. Tale est autem *Picmar* (pro quo vulgus dicit *Pimar*) ex Picus Martius, vt antea docui.

Nec mirum sanè si ibi quoque hæsitet vbi vna eadémque vox duo valde diuersa significat: quod videmus in hac, *Forces.* Nam vocabulo isto & Vires significantur, (præsertímque copiæ, quum de bello agitur) & Forfices. Sed pro Forficibus dicitur per syncopen, (nam si ex Forfices eximas mediam syllabam FI, remanebit *Forces*) at verò pro viribus, seu copiis, est à Fortis. Nam ex hoc adiectiuo (pro quo dicimus *Fort*) verisimile est factum olim fuisse substantiuum *Forceſſe*, pro quo dictum postea per apocopen fuerit, *Force*, & in plurali *Forces*. Sic certè priscos *Fortement* dixisse constat aduerbialiter; ex quo videmus *Fort* duntaxat remansisse. Sedenim & ipse sonus literæ *e* mutatus in *Forces*, quod ex Forfices factum est, facit vt origo non facilè deprehendatur. Eadem porro est hæc soni mutatio quæ & in aliis multis, nimirum soni masculini in sonum fœmininum: de quibus antea dictum fuit. Eadem, inquam, quæ & in aliis multis vocabulis: quorum nonnulla haud alia re à Latinis differunt. Nam hæc nostra, *Satellites*,

Matrices, *Calices*, ſono duntaxat literæ *e* differunt à Latinis, Satellites, Matrices, Calicès. Quibus addi poſſunt, *Facile*, *Difficile*, *Debile*. Multis tamen neque illic neque hîc in mentem venit ſe vocabulis vti quæ excepto literæ *e* ſono, planè Latina ſunt. Ita & hîc, *Tu te perſuades*, & *Perſuade toy*, habes Latina Perſuades & Perſuade.

Sic verò quum dicimus *Inſtruit*, *Deſtruit*, verbis vtimur quæ ſola pronuntiatione à Latinis differunt. Nam quum Latina Inſtruit, Deſtruit, triſyllaba ſint, nos *u* cum *i* ita coniungimus diphthongum facientes, vt ex triſyllabis diſyllaba reddantur.

Verùm vt ad illum ſermonem reuertar de vocibus duo valde diuerſa ſignificantibus, hoc & de nomine *Sarment* dici poteſt: quum & de Sarmento dicatur, ex quo eſt per apocopen factum: & de iureiurando quoque, vtpote etiam ex voce Sacramentum factum, & quidem per ſyncopen. Verùm in hac ſignificatione (differentiæ cauſa) potius *Serment* ſcribitur, per *e*, in priori quoque ſyllaba. Cuius ſcripturæ quidam rationem habentes, & de illo nomine Latino non cogitantes, dictum eſſe *Serment* ſuſpicati ſunt quaſi *Serrement*, à verbo *Serrer*.

Sedenim & alia multa in præcedentibus obſeruare vocabula potuiſti, quorum è Latino ſermone deriuatio ab huiuſmodo ſyncope occulitur. Verùm quædam præterea eſſe ſciendum eſt quæ quanuis apud eos qui extant autores non legantur, tamen tanquam ab aliquo (eorum ſaltem qui à barbarie non abhorruerunt) vſur-

pata proponere nobis debemus, tanquam nostrorum originem. Exempli gratia, proponendum fuerit verbum Tremulare ex Tremulus factum, ex quo per syncopen simúlque literæ *b* interpositionem, factum fuerit nostrum *Trembler*. (sic autem interiici hanc literam in *Comble*, ex Cumulus, & in nonnullis aliis videmus) Quòd si quis in exemplum vocem quærat aliam, quæ non ita barbariem præ se ferat vt illa Tremulare, vocem inquam, aliam ex qua itidem verbum à nobis (siue syncope interueniente, siue absque illa) formatum sit, quanuis apud nullum ex iis qui extant scriptoribus inueniatur: proferam verbum Assecurare. Non dubium est enim quin hoc nostro Gallico *Asseurer* ortum dederit: præcedente nimirum nomine *Seur*, quod ex *Secur* (passo apocopen ex Securus) factum per syncopen fuisse, antea docui.

Quinetiam diphthongus *oi*, siue *oy*, tardiores nos ad deprehendendam quarundam vocum è Latino sermone originem reddit. Siquidem vt *Net* ex Nitidus factum esse paulo antè docebam, mutato *i* in *e*, ita etiam ex Digitus constat factum fuisse *Det*: sed pro hoc *Det*, quod olim in vsu erat, dici à plerisq; cœpit *Doit*. A plerisq; dico, non ab omnibus: quòd multi è vulgo hodiéque *Det* pronuntient: atque adeo apud quasdã nationes hoc potius quàm illud audiatur. Itidem verò non *Foy* & *Loy*, sed *Fé* & *Lé* priscos dixisse (sicut & quædam dialecti etiam nunc) credibile est: præsertim quum *Leal* (ita factum

ex *Lé*, vt *Loyal* ex *Loy*) nondum omnino in desuetudinem abierit, ne apud eos quidem qui alioqui *Loy* non *Lé* pronuntiare solent. Constat quidem certè priscos illos *See* non *Soye* dixisse, & *Veez* non *Voyez*. Fortasse autem duæ simul mutationes à posteris in quibusdam vocabulis factæ fuerunt, quum illis hanc diphthongum darent. Nam (exempli gratia) credibile est maiores nostros non *Poivre* dixisse sed *Pepre*, ex Piper, postea *Pevre* (mutato *p* in *v*, sicut in aliis quamplurimis) tandem verò *Poivre* dictum fuisse.

Quemadmodum autem plerunque contractio quæ in Gallico vocabulo facta fuit, eius ex Latino sermone originem nobis occultat: ita etiam nonnunquam (sed rarò) productio id facit. Hoc enim cum de aliis quibusdam vocibus, tum verò de illa quæ serā significat, dici potest. Ea enim est *Serrure*, vox certè trisyllaba, quum Sera disyllaba sit. Sed hoc inde contigisse puto, quòd *Serrure* non sit ἀμέσως factum ex Sera, verùm ex *Serrer*: quod *Serrer* est ex Serare, verbo ex nomine Sera orto: (cuius tamen exempla nulla in vocabulariis afferuntur, sed tantùm ex eo compositorum Obserare & Reserare.) Nam quum ex Serare feciſſemus *Serrer*, ex hoc formauimus *Serrure*.

Alicubi autem vocem ex nomine deriuatam, loco ipsius nominis ad vsum nostrum, id est linguæ nostræ, accommodauimus: veluti in vocabulo *Tesmoin*. hoc enim non ex Testis (cuius tamen

men significationem habet) sed ex Testimonium fecimus: vel potius tanquam ex Tesmonium, syncopen passo. Sic etiam *Hyver* non ex Hyems fecimus, sed ex adiectiuo quod ab eo habere ortum existimatur: veluti siquis Hyemem per periphrasin vocet Hybernum tempus. Eam autem quæ hîc est literæ *b* in *v* mutationem, in aliis multis vocabulis inueniri, antea docui.

Sed nec verbum *Contreindre* ex Cogere fabricati sumus, verùm ex Constringere, si non eandem, at certè valde affinem significationem habente. Qui enim aliquid facere cogitur, eum necessitate constringi (quod loquendi genus Ciceronianum etiam est) meritò quispiam dixerit. Hanc autem deriuationem ipsa quoq; quarundam nationum pronuntiatio ostendit, quum literam *s* in hoc verbo sonent. Cæterùm quod in isto vocabulo, idem & in aliis plerisque sibi concesserunt: ex quibus est *Plaindre*, ex Plangere.

Sunt etiam quæ formata ex vocabulo quopiam malè intellecto fuerunt. vt *Trahir*, ex Tradere: quod apud veterem Testamenti noui interpretem sæpe occurrit, & primo aspectu aliud quàm quod significat, significare videtur. Quoniam enim Iudas suum & omnium Christianorum dominum prodidit, ideo Tradere apud illum interpretem idem esse videtur quod Prodere: quum tamen illa voce non προδιδόναι sed παραδιδόναι interpretatus fuerit. Est autem προδιδόναι, id est Prodere, prius quàm παραδιδόναι:

& prodere possunt interdum qui non etiam tradere. Nam παραδιδόναι, est, eum quem prodideris, illis quibus prodideris in manus tradere: nostro sermone, *Le liurer en leurs mains*. Nõ dubito autẽ quin initio ex Tradere factũ fuerit *Tradir*, quod mutatũ sit tandẽ in *Trahir*. Cæterũ ab Italis eodẽ errore Traditor pro Proditor dicitur.

Nonnunquam metaphoricam Latino vocabulo significationem dedimus, vel potius dederunt illi maiores nostri, quum id ex Latio in Galliam migrare vellent. veluti quum ex Fasce fecimus *Fascher*, deinde ex hoc verbo nomen *Fascherie*. Sed tantum abest vt hunc metaphoricum vsum reprehensione dignum existimem, vt contrà festiuissimè pariter & elegantissimè dicturum quempiam arbitrer, ex Virgilio,

-ego hoc te fasce leuabo,

significare volentem quod dicimus, *Ie vous osteray ceste fascherie*. vel, *de ceste fascherie*.

Voce *Acier*, quam ex Latina Acies fecerunt (facta ex Græca ἀκὶς) permiserunt sibi pro chalybe vti, quòd acies, id est cuspis, ex chalybe fieri soleret: & ita ei quod cuspidis materia erat, nomen dederunt quo ipsa cuspis à Latinis vocabatur.

Quinetiam epithetum alicubi pro ea voce cui adiunctum erat, vsurpare sibi licere existimarunt, vt opinor. Saltem de voce *Tenaille*, siue *Tenailles*, hoc mihi persuadeo. quum enim tenacem forcipem cum alij poetæ dixissent, tum verò Virgilius,

versánt-

(- versántque tenaci forcipe ferrum) vocábulum quod forcipem significaret, non ex hac ipsa voce sed ex eius epitheto παρεπόμενον.

Obiter autem in hoc vocabulo Tenax istud quoque considerandum proponam, quomodo ex nomine Latino Gallicum participium fecerimus. Est enim Tenax qui à nobis *Tenant* vocatur (quum dicimus *Vn homme tenant*) quod certè participium est, aut saltem participij formam habet.

Sed nimium etiam sibi eos alicubi permisisse fateor: quippe qui quarundam Latinarum vocum significatione apertè abusi fuerint, quum eas sermoni suo accommodarent. Nam voce *Parents* ex Parentes facta, non patrem & matrem (sicut Latini Parentes) sed consanguineos appellarunt: & nos eadem hodiéque appellatione vtimur. Sic ex Luscus fecerunt *Lousche*, quod tamen strabonem significat: & *Sori* siue *Souri* ex Sorice fecerunt, quum tamen illud vocabulum de mure vsurpent. Plura autem huius abusus exempla, simúlque aliorum quorundam quæ circa Gallicarum vocum è Latinis formationem considerandæ esse dixi; ille tibi suppeditabit libellus quem DE LATINITATE FALSO SVSPECTA inscripsi: in quo multo etiam plura leges in quibus contrà nostro sermoni cum Latino bene conuenire mirabundus fateberis.

DE DISCRIMINE QVOD ALICVBI EFFICIT ADIECtiuum, prout ſubſtantiuo vel præpoſitum vel poſtpoſitum eſt. Item, De quibuſdam locis vbi vel præfigitur tantùm, vel tantùm poſtponitur: & de nonnullis in quibus vtramlibet ſedem ſine diſcrimine occupare poteſt.

VOCIS aut etiam voculæ alicuius collocatio non parum diſcriminis interdum affert. Nam ſi dicis *Vn gentilhomme*, eum qui ortu nobilis eſt (id eſt clarus natalibus) ſignificas: at ſi, *Vn homme gentil*, ſcitum hominem & lepidum, ſiue elegantem, declaras. Sed aptius pro nobili ſcribitur coniunctè *Gentilhomme*, aut certè adhibita notula copulatrice, *Gentil-homme*. Sabaudi autem *Gentil*, ſine adiectione illius ſubſtantiui, appellant: adeo vt plerique antequam huic noſtri ſermonis conſuetudini aſſuefacti eſſent, quæ de gentilibus, id eſt ethnicis, à concionatoribus dicebãtur, de nobilibus dici putarẽt. Cæterùm *Gentiſemme* (ita enim dicitur pro *Gentileſemme*) & *Femme gentile*, ἀναλόγως illis, *Gentil-homme* & *Homme gentil*, intelligenda eſſe memineris.

Exempla habes & in iſtis vocibus, quæ valde ſunt vſitatæ, *Vne groſſe femme*, & *Vne femme groſſe*: item in his, *Vne femme ſage*, & *Vne ſage femme*. Nam *Vne groſſe femme*, & *Vne femme ſage* (hîc quidem poſtpoſito, illic autem præpoſito adiectiuo) illud ipſum ſignificant quod verba præ ſe ferunt, & quod hæc adiectiua aliis ſubſtantiuis iuncta

iuncta significare solent: at verò *Vne femme grosse*, est Fœmina prægnans, ἐν γαστρὶ ἔχουσα, vt Græci loquuntur: quæ à Gallis dicitur etiam *Vne femme enceinte* (quod *Enceinte* esse ex illis nostris vocabulis quæ ex Latino manasse sermone vix quisquam animaduertit, docui in meo DE LATINITATE FALSO SVSPECTA libello.) At verò *Vne sage femme*, est obstetrix: quæ in quibusdam Galliæ locis *Matrone* appellatur, (quanuis magis recepto vsu *Matrone* id ipsum sonet quod Latinè Matrona) alicubi alio etiam nomine vocatur. Scribenda sunt tamen potius cùm notula quæ à Græcis ὑφ' ἓν dicitur (aut certè notula hanc repræsentante) *Vne femme-grosse*, & *Vne sage-femme*. Si tamen aliquod adiectiuum interiiciatur, possunt hæc, quæ alioqui ita restringuntur, etiam alteram illam significationem habere. veluti siquis dicat, *C'est vne sage & honneste femme*, *C'est vne femme grasse & grosse*: Quinetiam, non interponendo sed postponendo, *C'est vne femme grosse & grasse*.

Cæterùm hæc duo frequentissima sunt omnium quibus diuersa vocabulorum collocatio diuersam significationem dare solet. Sunt alioquin & alia quædam in quibus idem vsuuenit: ex quibus sunt *Bois mort* & *Mort bois*, id est, Lignũ mortuum, & Mortuum lignum. Nam *Mort bois* sunt arbores minimè fructiferæ, cuiusmodi sunt, Populus, Alnus, Vlmus. Quibus oppomuntur fructiferæ, quales sunt glandiferæ: vt quercus, ilex, esculus: & (quæ primum tenere locum existi-

matur)fagus. At verò *Bois mort*, sunt arbores emortuæ,aut pars earum quæ emortua est.

Quædam verò sunt in quibus nec statim nec ab ipso etiam vulgo (aut saltem, non à quouis è vulgo)error deprehẽdi queat. Talia autem sunt (vt ad illud substantiuum *homme* reuertar) *Vn ieune homme*,& *Vn homme ieune*:*Vn braue homme*, & *Vn homme braue*. Nam *Ieune homme* est qui etiam,vocabulo prisco, *Jouuenceau* vel *Iouuenceau* appellatur:& qui aut imberbis est,aut certè Cui flauent prima lanugine malæ, siue Cui prima iuuenta genas flore vestit: à Græco autem quopiam poeta diceretur ἔτι χνοάοντας ἰούλους ἀντέλλειν, vel φύειν (aut etiam qui adhuc dubia tegit lanugine malas.) Alterum autem illud,*Vn homme ieune*,& *Vn homme encore ieune*, dicitur ad differentiam eius qui est iam vergentibus annis,vt poeticè loqui pergam.

Iam verò & quum audimus, *Vn braue homme*, aliud intelligimus quàm si diceretur *Vn homme braue*. Nam hîc ad corporis ornatum, illic ad quandam animi generositatem respicitur. Sic etiam,si quidem dicatur *Vn estrange homme*, intelligimus de eo tantùm quem mirum hominem Latini appellant,sicut Græci θαυμάσιον, & aliquando δαιμόνιον: at verò *Vn homme estrange*, non de hoc solùm sed etiam de extraneo intelligere possumus: quem tamen frequentius *Estranger* appellamus, & quidem omisso etiam illo substantiuo. Quinetiam quùm aliquis ita loquitur,*C'est vn estrange pays*,sic accipis *estrange*

vt

vt quum dicis *Vn estrange homme:* at verò si dicatur, *C'est vn pays estrange*, vel, *Il est allé en vn pays estrange*, terram peregrinam & longinquam intelligis.

Cæterùm quædam etiam pronomina, vel præpositа, vel postpositа, valde diuersam orationis formam efficere, idémque & in quibusdam particulis vsuuenire, in proximè sequente capite ostendam.

SED de hoc quoque monendus es, quanuis adiectiua pleraque postponamus, eáque præsertim quæ colores significant, dicentes, *Cheual blanc*, *Pain blanc*, *Bonnet rouge*, vel, *Vn cheual blanc*, &c. non autem (vt quidam populi, & nominatim Picardi) *Blanc cheual*, *Blanc pain*, *Rouge bonnet:* quanuis (inquam) non ita præponere sed postponere adiectiuum soleamus, tamen hoc minimè perpetuum esse. Nam dicimus quidem, *Pain blanc*, *Pain bis*, (quod *Bis* opponitur illi *Blanc*) *Pain tendre*, *Pain dur*, *Vin blanc*, *Vin rouge*, siue *clairet*, *Chair blanche*, vel *noire*: *Chair tendre*: *Chair dure*: & tamen *Bon pain*, *Bon vin*, *Bonne chair*: *Bon veau*, *Bon mouton*, *Bon bœuf*, *Bonne perdris*, *Bonne beccasse:* non autem, *Pain bon*, *Vin bon*, *Chair bonne*, *Veau bon*, &c. Eodémque modò, *Bon homme*, *Bon cheual*, *Bon drap:* non *Homme bon*, &c. Et quod in hoc adiectiuo, idem & in eo quod pulchrum significat, fieri videmus. Dicitur enim, *Bel homme*, *Beau cheual*, *Beau drap:* itidémque *Beau pain*, *Beau vin*, *Belle chair*, &c. Et tamen quum hæc duo adiectiua coniunguntur,

vtroque in iis ordine vtimur. Dicimus enim, *Vn bel & bon cheual*, vel *Vn cheual bel & bon*. &, *Vne belle & bonne robbe*: vel, *Vne robbe belle & bonne*. Paulo tamen magis ordo posterior in vsu esse videtur. Sunt porro & quædam alia adiectiua, in quibus vtroque ordine vtimur. Dicimus enim, *Vn vaillant homme*, *Vn sage homme*, *Vn excellent homme*: necnon *Vn homme vaillant*, &c. Sic etiam *Vn excellent personnage*, & *Vn personnage excellent*. Nonnullis tamen adiectiuis postpositum substantiuum *homme* maiorem gratiam habet. Lubentius enim audiunt aures, *Vn habile homme*, quàm *Vn homme habile*: itidémque, *Vn galant homme*, quàm *Vn homme galant*. Quinetiã *Vn simple homme*, *Vn sage homme*, magis illis placet quàm *Vn homme simple*, *Vn homme sage*: quæ tamen & ipsa non nullo in vsu sunt. Sed idem de adiectiuo *sot* quod de illo *sage*, illi opposito, nequaquam dixerim. Nam *Vn homme sot*, non memini me ex iis qui recti & emendati sermonis periti essent, audire: sed tantùm *Vn sot homme*, vel *Vn sot*, absque substantiui adiectione.

Ac multo etiã minus *grand* vel *petit* postponi consueuit: verùm vt dicitur *Vn bel homme*, *Vn bon homme*, ita etiam *Vn grand homme*, vel, *Vn petit homme*. Cæterùm quod de hoc substantiuo *homme*, idem & de *femme* existimandum est. Dici enim itidem consueuit, *Vne belle femme*, *Vne bonne femme*, *Vne grande femme*, vel *petite femme*. non autem, *Vne femme belle*, &c.

DE QVIBVSDAM QVAE IN PRONOMINIS VSV sunt obseruanda.

IN VSV Pronominis cum alia obseruari diligenter debent, tum verò eius collocatio: quum alicubi, prout vel præpositum vel postpositum est, valde diuersam orationis formam efficiat, vt in fine præcedentis capitis à me dictum est. Atque adeo ipsam, diuersam, non tantùm ipsius formam, reddit. Nam si dicas, *Auez vous faict cela*, hoc ita accipietur tanquam per interrogationem dictum, pro, Feciſtine illud? At verò, *Vous auez faict cela*: tanquam dictum pronuntiatiuè (vt quidam loquuntur) pro Illud feciſti. Sic etiam, *Auons-nous fait cela?* &, *Nous auons faict cela.* Quinetiam vbi idem pronomen & in principio & in fine orationis ponitur. vt, *Vous & luy* (vel, *& vostre frere*) *irez-vous là?* & *Vous & luy* (aut, *& vostre frere*) *vous irez là.*

Nec verò aliud de *Ie* & *Tu*, singularibus, quàm de *Nous* & *Vous*, pluralibus, dicendum est. Ita enim loquimur, *Ie t'auois dict cela*, *Tu m'auois dict cela*, id est, Ego tibi illud dixeram, Tu mihi illud dixeras: sed interrogantes, *T'auois-ie dit cela? M'auois-tu dict cela?* id est, Tibíne illud dixeram? Mihíne illud dixeras? vel, *T'auois-ie pas dict cela?* Nónne tibi illud dixeram? *M'auois-tu pas dict cela?* Nónne mihi illud dixeras?

Idem porro & in pronomine *Il*, quod ex Latino Ille factum est, loçũ habet. Diçimus enim,

Il ne viendra point, Il ne vous parlera point: at cum interrogatione, *Ne viendra-il point?* &, *Ne vous parlera-il point?* Itidem, *Il eſt vray*, pro Verum eſt: *Eſt-il vray?* pro, Verúmne eſt? Quinetiam in *Il*, quod verbo impersonali iungitur, eadem collocatione vtimur. dicimus enim, *Il faut*, (vel; *il faudra*) *faire ceci*, id eſt, Oportet (vel oportebit) hoc facere. Sed quum interrogamus, *Faut-il faire ceci?* vel, *Faudra-il faire ceci?* id eſt, Oportétne (vel, oportebítne) hoc facere? Eodem modo dicimus, *Ie ne ſçay. quelle heure il eſt, Demandéz quelle heure il eſt, Dite moy quelle heure il eſt:* ſed quum ſciſcitamur quota ſit hora, dicimus, *Quelle heure eſt-il?*

ALIA habeo nonnulla (ex iis quæ prætermiſerunt qui grãmaticas inſtitutiones ſcripſerũt) de quibus te ſuper pronominis vſu moneam. Primũ autẽ hoc erit, nos pronomen *Moy*, (quod ex *μοὶ* factũ, non ſolùm pro hoc datiuo, & pro accuſatiuo, verumetiã pro nominatiuo Ego vſurpamus) verbo non præfigere, ſed alterũ quod eſt *Ie*. Nõ enim dicimus, *Moy vous di cela, Moy vous aime bien, Moy le veux, Moy ſuis content, Moy ſuis faſché:* (vt ſæpe extranei loqui ſolent: à quibus ideò diligenter quæ hîc dicuntur ſunt animaduertenda) ſed *Ie vous di cela, Ie vous aime bien, Ie le veux, Ie ſuis content, Ie ſuis faſché*. Itidémque hoc in ſecunda perſona obſeruandũ eſt, non *Toy* ſed *Tu* illi præfigi: & dicendum eſſe, *Tu dis cela, Tu es content, Tu es faſché:* non autem, *Toy dis cela, Toy es content, Toy es faſché:* quod tamen extraneos

extraneos, sicut & alterum illud, sæpe dicentes audimus.

Sed hoc addo, interdum quidem hæc pronomina ante vnum idémque verbum coniungi: verùm ita vt præcedat *moy*, vel *toy*, at *ie* vel *tu* sequatur: & *moy* aut *toy* perinde sonet acsi diceretur *Quant à moy*, aut *Quant à toy*. velut in hac oratione, *Tu les appelles ainsi: mais moy ie leur donne vn nom contraire*. perinde est enim acsi diceretur, *Mais quant à moy, ie leur donne vn nom contraire*. Eodémque diceretur modo, *Ie les appelle ainsi, mais toy, tu leur donnes, &c.* Sic etiam de *Luy*, sequente *il*, sentiendum est. veluti in hac oratione, *Vous estes en grand' peine de cela: mais luy, il ne s'en fait que rire*. Id est, *Mais quant à luy, il ne s'en fait que rire*. Interquiescendum est autem aliquantululum inter *Luy* & *il*, itidémque inter illa *Moy* & *ie*. Cæterùm tantum abest vt in aliis quàm huiusmodi locis copulentur hæc pronomina, vt ne hîc quidem copulare necesse sit. Nam potest etiam dici, alterutra vocula prætermissa, *Mais luy ne s'en fait que rire*, vel, *Mais il ne s'en fait que rire*: sed *luy* in tali loco esse significantius videtur. At in exemplo altero copulationis pronominum *moy* & *ie*, non itidem vtrumlibet omitti posse existimandum est: sed tantùm dici posse, *Mais moy ie leur donne vn nom contraire*: aut certè, *mais ie leur donne vn nom contraire*.

SECVNDVM erit, quum geminamus *Nous*, vel *Vous*, prius, nominatiui posterius, datiui, vel

accusatiui casus esse. Nam pro his, *Nous nous persuadons cela*, vel, *Vous vous persuadez cela*, Latinè diceremus, Nos nobis persuademus illud, vel, Vos vobis persuadetis illud. Sic in singulari numero, *Ie me persuade cela*, *Tu te persuades cela*: Ego mihi illud persuadeo, Tu tibi illud persuades. Eodémque modo, *Nous nous plaisons*, *Vous vous plaisez*, & *Tu te plais*, Nos nobis placemus, Vos vobis placetis, & Tu tibi places. Item, *Nous nous permettons cela*, & *Tu te permets cela*, Nos nobis permittimus illud, Tu tibi permittis illud. In his enim aliísque multis locis, *nous* & *vous*, priore quidem loco, nominandi, at posteriore sunt casus dandi: sicut *me* & *te*. Sed quæ in illis exemplis sunt datiui casus, sunt accusatiui in istis, *Nous nous accusons*, vel *Nous nous excusons*: *Nous nous saoulons*, *Nous nous enyurons*, *Nous nous tourmentons*, *Nous nous espouuantons*, *Nous nous ostons de pene*, vel *de fascherie*. id est Nos nos accusamus, vel Nos nos excusamus, Nos nos saturamus, Nos nos inebriamus, Nos nos torquemus, Nos nos perterrefacimus, Nos nos liberamus molestia. Itidémque in secunda persona, *Vous vous accusez*, *&c.* Vos vos accusatis, &c. Ac quemadmodum in prioribus exemplis *me* & *te* datiui itidem casus esse dicebam, præcedente *ie* & *tu*: ita hîc esse accusatiui constat: quum dicis, *Ie m'accuse*, *Tu t'accuses*: vel *Ie m'excuse*, *Tu t'excuses*. Cæterùm quanuis simplex pronomen Latinum horum loquendi generum interpretationi in posteriore etiam loco adhibuerim,

rim, non ignoro tamen aptiorem esse compositi vsum: id est, aptius dici, Nos nosipsos accusamus, vel Nos accusamus nosipsos, quàm Nos nos accusamus, aut Nos accusamus nos. Imò verò & absque nominatiui casus pronomine diceretur potius, Accusamus nosipsos. Sed tamen ne is quidem qui Accusamus nos, dixerit, nullo idonei autoris exemplo defendere se poterit. Neque enim hîc ita necessarius est compositi pronominis vsus vt apud Græcos. barbarum enim illis esset, ἡμᾶς talibus locis, non ἑαυτοὺς, adhibere.

Verùm, vt de illa pronominis duplicatione pergam dicere, fatendum certè est, Latinæ orationis formàm quamplurimis in locis non posse Gallicæ ita respondere, vt in præcedentibus. Nam hæc duo loquendi genera, *Nous nous lamentons*, *Nous nous plaignons*, etiamsi valde vicina sint isti quod præcessit, *Nous nous tourmentons*: tamen sicut pro hoc dicebam, Nos nos torquemus (quanuis magis Latinè dici ostenderim, Nos torquemus nosipsos, aut etiam non præfixo nominatiuo Nos) ita pro illis vix ausim dicere, Nos nos lamentamur, Nos nos plangimus: quanuis illa Gallica his Latinis vtcunque repræsentari videantur.

In iis autem præsertim locis Latinæ oratio-nis structura respondere Gallicæ non potest, vbi idem verbum cum secunda etiam & tertia persona non vsurpamus: aut certè non eundem illi vsum dantes. Ac certè ἀμεταβατα ferè sunt

verba quæ ad has personas non solent μεταβαίνειν. vt *Nous nous taisons*, *Nous nous reposons*, *Nous nous esbatons*, *Nous nous esmerueillons*, *Nous nous courrouçons*. Latinè enim dixeris, Nos tacemus, Nos quiescimus, Nos ludimus Nos miramur, Nos succensemus. Sic etiam, *Nous nous hastons*, *Nous nous arrestons*, *Nous nous faschons*, Latinè reddenda sunt, Nos properamus (vbique enim pronomen primæ personæ retineo, licet omitti posse sciam) Nos resistimus, Nos mœrorẽ concipimus. Addidi autem, Non eundẽ illi dantes vsum: quoniã multa sunt alioqui verba (ex eorum etiam numero in quibus Latinæ orationis structura Gallicæ respondere non potest) quæ ad secundam vel tertiam personam transeunt: sed ita vt simul iis, non iam tanquam neutris, sed tanquam actiuis, vtamur. Ac certè talia sunt illa tria quibus posteriorem locum dedi. nam quum *Nous nous arrestons*, sit Nos resistimus, vel Nos restitamus: si dicatur, *Nous vous arrestons*, vel *Nous les arrestons*, intelligẽdũ fuerit, Nos vos sistimus, vel, illos sistimus. Sic quũ *Nous nous hastons*, sit, Nos properamus, siquis dicat *Nous vous hastons*, vel *Nous les hastons*, significabit, Nos facimus vt properent, vel Hortamur vt properent. Quod etiam dici breuius & elegantius potest, Nos acceleramus eos. Denique, quum *Nous nous faschons*, sit, Mœrorem concipimus, vel capimus, aut Mœrori nos dedimus: (à themate Dedo) si dicamus, *Nous vous faschons*, vel *Nous les faschons*, significamus, Molestiam vobis exhibemus, Molestia seu tæ-

dio vos afficimus. Quinetiam verbum *Auiſer* eundem vſum non habet, quum dicimus, *Nous nous auiſons*, & quum dicimus, *Nous vous auiſons*. Eſt enim neutrum in illo priore loco, vt *Rauiſons*. quum dicitur, *Nous nous rauiſons*.

Sed quædam ſunt eorum quibus diuerſum illum damus vſum, in quibus primæ perſonæ pronomen minimè geminamus, ſed tantùm ſecundæ aut tertiæ perſonæ pronomen pronomini primæ ſubiungimus. Dicimus enim, *Nous apprenons*, pro, Nos diſcimus: at verò *Nous vous apprenons*, vel, *Nous les apprenons*, pro Nos docemus vos, vel illos.

NEC nulla ſunt verba ante quæ non ſemper geminatur pronomen, licet idem ſemper ſit vſus. Dicimus enim, *Nous nous rions de luy*, vel *Nous rions de luy*, vnum atque idem ſignificantes. Sic, *Dequoy riez vous?* vel, *Dequoy vous riez vous?*

Quædam verò ex iis quæ vtroque modo dicuntur, particulam *en* cum geminatione pronominis habent. Nam ſiue dicatur, *Nous nous en fuyons*, ſiue *Nous fuyons*, ſignificatur, Nos fugimus. Item, *Nous nous en allons à Paris*, vel *Nous allons à Paris*, eadem ſignificatione. Audimus autem eandem particulam & in iſtis locis, *Fui t'en, Va t'en, Vien t'en:* à quibus locis non ita poteſt abeſſe vt ab illis prioribus: in quibus ſeruire tantùm ornatui videtur. Neq; enim relatiuæ particulæ obtinere vim dici queat, quum ei addatur præpoſitio *de* cũ loci nomine. Nã dicitur, *Nous nous en fuyons de la ville*, & *Nous fuyons de la ville*,

pro eodem. Si tamen dicas, *Pource que la peſte eſt en la ville, ie m'en ſuis fui*, non omnino illam ſuam vim amittere hæc particula videtur. Sed multo etiam minus, quum alio verbo vteris. Veluti quum dicis, *Pource que la peſte eſt en la ville de Paris, ie m'en ſuis retiré.* Omnino enim perinde eſt acſi diceres, *Ie me ſuis retiré d'icelle:* vel, *Ie me ſuis retiré de là.* Quem particulæ *en* vſum obſeruare debent extranei: ne ita loquantur vt quoſdam, qui extranei itidem ſunt, dicentes audimus, *Ie m'en ſuis retiré de là:* vel, *de ce lieu-là.* Nam horum neutrum addendum eſt, aut pro *Ie m'en ſuis retiré*, dicendum, *Ie me ſuis retiré*, omiſſa illa vocula. Eoſdem ita loquentes audimus, *Ie luy en ay parlé de cela*, vel, *Ie m'en a parlé de cela.* Item, *Nous nous en moquons de luy:* quibus pariter in locis planè otioſa eſt ac ſedem à Latini ſermonis conſuetudine alienam habet iſta particula. Et hæc quidem de ea obiter dixiſſe, non inutile fuerit.

Vt autem ad ea reuertar quæ vtroque modo, abſque illius particulæ interpoſitione, dicuntur, id eſt, vel cum geminatione pronominis, vel cum vnico pronomine: ſciendum eſt, eos qui emendatè loqui exiſtimantur, cum nonnullis verbis id ſibi non permittere, quum cæteros ſibi permittere videamus. Neq; enim tã dicũt, *Nous periurõs*, (quãuis dicatur *Nous iurons*) quàm *Nous nous periurons*: ſed hoc poſteriore tantùm vtuntur. Ac viciſſim minimè dicũt & *Nous diſnons*, & *Nous nous diſnons*, ſed duntaxat illud prius ipſis

in vſu eſt.

SED multo plura ſunt quæ alium cum duplicatione pronominis vſum habent quàm quũ vnicum eis præfigitur. Nam *Nous eſtudions*, eſt Nos ſtudemus, id eſt, In literarum ſtudiis verſamur: at verò *Nous nous eſtudions*, eſt Conamur, Operam damus: quod etiam Studemus reddi poteſt, cum infinitiui adiectione; ſicut & nos infinitiuum addimus poſt *Nous nous eſtudions*, præfixa præpoſitione *à*. Dicimus enim, *Nous nous eſtudions à luy complaire*, vel, *à luy nuire*: pro eo quod Latinè diceretur, Conamur illi placere: ſiue illi nocere. vel, Studemus illi placere. vel, Operam damus vt illi placeamus. Neque verò ſi ſignificare velim, Iocamur, Ioco hoc dicimus, non ſeriò, dicendum fuerit, *Nous iouons*, ſed *Nous nous iouons*. At verò *Nous iouons*, eſt Ludimus: vt, *Nous iouons à la paume*. Nec certè ſi quis dicat, *Nous nous repoſons*; & *Nous repoſons*, vnum idémque dici putabo: ſed illud ſimpliciter de quiete, hoc de quiete quam dat ſomnus intelligam: ſicut *Il repoſe*, ſine adiectione, potius quàm *Il ſe repoſe*, adiecto pronomine, de quiete iſta dici conſueuit.

Verùm maius etiam diſcrimen cum quibuſdam verbis diuerſus ille pronominis vſus efficit. Exempli gratia, cum verbo *Douter*. Nam, *Nous doutons de cela*, vel, *Nous doutons de luy*, eſt, Nos dubitamus illa de re, & Dubitamus de illo: at verò *Nous nous doutons de luy*, eſt, Nos illum ſuſpectum habemus.

SCIendum est autem, nonnunquam in hac pronominis geminatione, vtrumque verbo præponi posse, aut vnum præponi, alterum postponi. Dicitur enim, *Nous nous pensions sauuer:* vel *Nous pensions nous sauuer.* Sic, *Nous nous voulions* (vel *voulons*) *retirer* & *Nous voulions nous retirer.* vel, *Nous voulons, &c.* Eodémque modo, *Nous nous deuons asseurer de cela:* vel, *Nous deuons nous asseurer.* Sic autem & in secunda persona, *Vous vous deuez asseurer:* vel, *Vous deuez vous asseurer.* Atque in præcedentibus itidem exemplis, quod in prima locum habet, id etiam in secunda locum habere sciendum est.

Sed in oratione interrogatiua, nõ illa sed hac collocatione vtimur: in qua nimirum verbum vtrinque pronomen habet. Dicitur enim, *Vous vouliez vous retirer?* non autem, *Vous vous vouliez retirer?* Sic, *Vous fiez vous à moy?* at *Vous vous fiez à moy*, oratio est pronuntiatiua. (ita enim quidam eam vocant quæ interrogatiuæ opponitur) Quum verò particula *pas* interrogationi adhibetur, tum verò tales sunt pronominis vtriusque collocationes, *Ne vous fiez vous pas à moy?* vel, *Ne voulez vous pas vous fier à moy?* Sic etiam vbi vnicum pronomen ponitur: vt hîc, *Ne me croyez vous pas?* vel, *Ne me voulez vous pas croire?* aut, *Ne voulez vous pas me croire?* Simul autem, tanquam ἐν παρόδῳ, vsum huius voculæ *pas* obseruato, quæ orationi ad dandam ei vim interrogandi adhibetur: & præcedente altera particula *Ne*, Latinè per Nonne vel Annon redditur,

redditur. Siquidem, *Ne voulez vous pas?* est Nónne vis? Sic, *N'auons nous pas enduré assez de maux?* Nónne satis malorum passi sumus? Sed extranei sæpe istam particulam talibus in locis omittunt: qui obseruare etiam debent, eam in oratione pronuntiatiua planè alium vsum habere, nimirum velut augendi ipsam negationem. Diceretur enim, *Nous n'auons pas enduré assez de maux*, pro his Latinis, Non sumus passi satis malorum. Adhibetur autem interrogationi & particula *Point*, sed paulo alio sensu. nam, *Ne vous ay ie point dict cela?* est, An tibi illud non dixi? at verò, *Ne vous ay ie pas dict cela?* sonat, Annõ tibi illud dixi? vel, Nónne tibi illud dixi?

TERtium, de quo te super vsu huius partis orationis monitum volo, est hoc, pronomina singularia *Moy* & *Toy*, siue *Me* & *Te*, & pluralia quoque, *Nous* & *Vous*, interdum accusatiui, nonnunquam datiui casus esse: vt antea de posteriori, in geminatione, dicebam.

Accusatiui sunt casus quum dicimus, *Corrige moy, Corrige toy: Tu me corriges, Ie te corrige: Corrigez nous, Corrigez vous.* Sic etiam, *Charge moy, &c. Nourri moy, &c. Accuse moy, &c.* Sed talis quorundam verborum est significatio, vt quod cum pronomine primæ personæ congruit, cum secundæ personæ pronomine non itẽ congruat.

Datiui autem casus sunt, quum dicitur, *Persuade moy cela, Persuade toy cela: Tu me persuades cela, Ie te persuade cela: Persuadez nous cela, Persuadez vous cela.* Ac cum nonnullis verbis

modò hunc modò illum casum poni videmus, sed aliquantum diuersè illa vsurpando. Dicimus enim, *Accorde moy cela:* vbi *moy* est datiuus: &, *Accorde toy à cela*, vbi *toy* est accusatiuus. Nam *Accorde moy cela*, perinde sonat acsi diceres, Hoc mihi assentitor: at verò, *Accorde toy à cela*, Assensorem te præbe in hoc. Aliquando verò prius illud, *Accorde moy cela*, est, Hoc mihi petenti concede.

Verùm hoc sciendum est, quædam esse verba quibus postpositũ datiui casus pronomen præpositionem *à* sibi præfigi postulat. Dicimus enim, *Respondez moy*, (vel *Respon moy*) *Dite moy cela*, *Monstrez moy cela*, *Apportez moy cela:* non autem, *Respondez à moy*, *Dite cela à moy*, *Monstrez cela à moy*, *Apportez cela à moy*, (vt loqui solent qui sunt in nostro sermone nouitij) & tamen *Venez à moy*, *Il est venu à moy*. Eodemque modo, *Il a parlé à moy*, non *Il a parlé moy*.

Sunt tamen & verba quibus & *moy* & *à moy* postponitur. ex quibus est illud ipsum *Parler*. Quanuis enim non dicatur *Il a parlé moy*, sed tantùm *Il a parlé à moy:* (pro Alloquutus me est) non tamen vsitatum est duntaxat *Parlez à moy*, (pro Alloquere me) sed aliquo in vsu est etiam *Parlez moy:* sicut non solùm dicitur, *Il a parlé à moy*, sed etiam *Il m'a parlé*. Verùm aliquis sermonis eorum qui purius loqui existimantur obseruator, contendet fortasse, *Parlez à moy*, & *Il a parlé à moy*, dicendum potius esse quum nihil adiicitur: at verò *Parlez moy*, & *Il m'a parlé*, cum adic-

adiectione: hoc modo, *Parlez moy de cela*, vel *Parlez moy autrement, Parlez moy autre langage:* itidémque, *Il m'a parlé de cela, Il m'a parlé bien autrement, Il m'a parlé tout autre langage.*

Sed alicubi, quod cum *moy* aut *toy* iungi non potest verbum, cum *me* aut *te* iungitur. Dicitur enim *Dite moy cela, Persuadez moy cela*, & tamen *Il me dit cela, Il m'a dict cela: Il me persuada cela, Il m'a persuadé cela:* vbi *moy* locum habere non potest. Estque animaduertendum, quum verbum illic præponatur, hîc postponi.

Cæterùm, quoniam dixi paulo antè non esse in vsu *Venez moy*, sed tantùm *Venez à moy*, admonendus est lector, fore quidem vt audiat *Venez moy*, sed cum adiectione, in qua pronomen cum verbo *Venez* non cohæret. vt *Venez moy dire* (vel *comter*) *le faict*, *Venez moy bailler cela.* Atque his in locis aliquando vtimur etiam altero pronomine *me: Venez me dire le faict*, *Venez me bailler cela.* Sed quemadmodum, quanuis multis in locis *moy* dicatur, in nonnullis etiam *à moy* dicitur: ita certè non solùm *luy*, (quod est pro Latino Illi) verùm & *à luy* in vsu esse sciendum est. Audimus enim, *Il luy faut parler*, & *Il faut parler à luy*, (& verò nonnulli hoc potius quàm illo modo loquerentur, quũ nihil adiicitur: sicut de hoc ipso verbo pronomini primæ personæ iuncto dicebam) Sic etiam, *Il luy faut dire*, vel *Il le luy faut dire:* &, *Il le faut dire à luy.*

Obiter autẽ obserua in præcedentibus quomodo alicubi voculæ *Il* duo pronomina sub-

iungamus. Habuisti enim paulo ante, *Il le luy faut dire*. vbi particula *Il* ad verbum *faut* pertinet (nam pronominis naturam mutans, impersonalibus verbis præfigitur) subiunctæ autem illi voculæ *le* & *luy* pronomina sunt. sonántque hæc, *Il le luy faut dire*, perinde acsi dicas, Illud illi oportet dicere. Sed & particulam *Il* suo impersonali verbo iungentes, ita loquimur, *Il faut le luy dire*.

QVARTUM, nos aliquando ita vti his pronominibus *Moy* & *Te* (aut certè *Te*) & *Nous*, *Vous*, in datiuo casu, vt superuacanea esse videantur: quum tamen non sint, sed eundem vsum habeant quem Græca μοὶ & σοὶ, ἡμῖν & ὑμῖν, in talibus plerunque locis habere constat. Loquor autem de locis huiusmodi, *Regardez moy la mine de ce galand*, *Accoustrez le moy bien*, *Battez le moy bien*. Sic etiam, *Ie vous l'ay bien rembarré*, *Ie vous l'ay bien accoustré*. Quinetiam sequente interdum alio datiuo: veluti quum dicitur, *Ie vous luy ay bien dict ses veritez*, *Ie vous luy ay bien chanté sa leçon*. His certè in locis datiuus *Vous* perinde sonat propemodum acsi diceretur, In gratiam tuam: sicut suprà *Moy*, In gratiã meam. Nam pro his, *Regardez moy la mine de ce galand*, diceretur multo pluribus verbis, *Faite moy ce plaisir de regarder la mine de ce galand*. Sic diceretur, *Considerez moy cela*, *Considerez moy sa façon de faire*.

Sed quum de hisce Gallicis loquendi generibus (quæ saltem Gallico sermoni longè sunt fre-

frequentissima) copiosè disseruerim in Libro de Gallici sermonis cum Græco conuenientia, simúlque exempla talis vsus pronominum μοὶ, σὺ, & ἡμῖν, ὑμῖν, attulerim (ex quibus vnum est, ἐννόησόν μοι καὶ τοῦτο: quæ verba respondent illis paulo ante præcedentibus, *Considerez moy cela*) illuc te remittendum censeo. Apud Latinos autem haud facilè quis exempla similis omnino horum pronominum vsus reperiat. Nam quum dicit Horatius,

Quid mihi Celsus agit?

talem esse pronominis Mihi vsum minimè dici queat. Est quidem certè talis omnino qualis pronominis μοὶ, in hoc Græco loquendi genere, quod Latino illi respondet, Ἤ ῥόμην ὅ, τι ἡμῖν ὁ καλὸς Ἰφικράτης ποιεῖ. quæ verba, sunt cuiusdam Libanij epistolæ principium.

QVINTUM, nos in quibusdam loquendi generibus, Hebræorum more, relatiuum vsurpare, quanuis non præcesserit antecedens. veluti quũ dicimus, *On la luy baillera belle, Nous la luy baillerons belle.* Item, *On me l'a baillee belle.* Mirum autem non fuerit hærere hoc in loco ac similibus extraneos, quum ipsimet Galli in his hæreant. Nam intelligunt quidem quid dicatur, sed quid illud relatiuum pronomen referre dici possit, non vident. Verùm quum considero valde vsitatum esse loquendi genus, *Bailler la trousse à quelcun*, vel *Bailler vne trousse*: facilè adducor vt credam, *On me l'a baillée belle*, perinde esse acsi diceretur, *La trousse qu'on m'a baillee, on me l'a baillee belle.* Sic autem & in

aliis huiusmodi locis videndum quídnam aptè assumi extrinsecus possit.

Obserua porro, in illa oratione, *La trousse qu' on m'a baillee, on me l'a baillee belle*, particulam *la* priore quidem loco esse articulum: at posteriore, (vbi per apostrophum eliditur vocalis *a*) pronomen relatiuum. Sic in ista oratione, *La femme qu'on luy a baillee, on la tient pour sage*. Aliquando autem *la* in primo & tertio loco articulus est, at in secundo pronomen. Veluti, si præcedenti orationi aliquid adiungens, dicas, *La femme qu'on luy a baillee, on la tient pour la plus sage de ceste ville*.

Cæterùm, sicut in illo genere loquendi quod proposui, ponitur *la* pronomen relatiuum non præcedente substantiuo: ita etiam articulum *la* absque substantiui adiectione non rarò poni videbis. Dicimus enim, *A la Françoise, A l'Italienne, A l'Hespagnole*: pro *A la mode Françoise, &c.* vel, *A la façon Françoise, &c.* Conuenire autem linguæ nostræ cum Græca in hac quoque ellipsi, ostendi in illo meo cuius paulo ante mentionem feci libro: afferens cum alia, tum hoc Thucydidis, ἐξαλμένος ἐς τὸ βαρβαρικόν. subaudiendo nimirum ἔθος.

SEXTUM, nos in pronomine secundæ personæ, sicut & in Verbis, pluralem numerum loco singularis vsurpare. Dicimus enim, *Ie vous aime*, pro *Ie t'aime*: perinde acsi diceretur, Ego vos amo, pro Ego te amo. Sic, *Ie vous prie de faire cela pour moy*. Nec minus, *Ie vous commande cela*, vel

de

de faire cela. Item, *Vous me faites tort*, pro *Ie te prie, &c. Ie te commande, &c.* item, *Tu me fais tort.* Sic etiam, *Vous vous trompez*, *Vous vous abusez*: pro, *Tu te trompes, Tu t'abuses.* Item, *Vous vous deuez asseurer de mon amitié*, pro *Tu te dois asseurer de mon amitié.*

Neque tamẽ nunquam singularem numerum vsurpamus: sed tum ferè quum eos alloquimur in quos ius habemus, (veluti quum famulos aut liberos nostros compellamus) vel eos qui tam familiariter sunt nobis amici, vt iocosis etiam verbis apud eos vti possimus. Et quidam sanẽ hanc apud eos libertatem, non item apud vxores, quæ tamen plusquam familiariter amicæ debent esse, vsurpare solent. Cæterùm dicere alicui *Tu* & *Toy*, appellatur vno verbo *Tutoyer.* Dicimus enim *Tutoyer quelcun*, pro Compellare eum illis pronominibus *Tu* & *Toy*: ac præsertim si non sit ex eorum numero apud quos tali sermone vti nos solere dixi: adeo vt vel à contemptu vel, ab ira vel ab vtroque simul talia proficiscí verba videri queant.

Quanuis autem in loquẽdo obseruetur quod dixi, in scribendo certè non semper: ac præsertim in nostra rhythmica poesi. Nam ibi plerunque ipsi etiam regi dicimus *Toy* & *Tu*: atquẽ adeo omnium regum regi Deo idem à nobis dici solet.

At verò prima persona pluralis pro singulari, in nostro sermone, sicut & in quibusdam aliis qui hodie in vsu sunt, maiestatem quandam præ

se fert, ideóque principibus & ius dicentibus conuenit. At Latini ita vtebantur vel potius abutebantur prima persona plurali pro singulari, vt nos secunda. Præsertim tamen poetæ: quos in vno etiam eodémque membro vtraque vti alicubi videmus. Vnius quidem certè loci recordor, qui est Tibulli,

Et seu quid merui, seu quid peccauimus, vror.

SEptimum, pronomina plerunque in pronuntiatione, debere cum præcedentibus verbis, non aliter quàm si Hebraico more affixa illis essent, coniungi. Veluti quum dicitur, *Di moy cela, Fay moy ce plaisir, Preste moy ceſt argent*, vel *Di nous cela, &c.* Sic etiam *Dite nous cela, Faite nous ce plaisir, Prestez nous ceſt argent.* Ideóque rectè scribuntur cum notula copulatrice, id est copulationis indice, *Di-moy, Fay-moy, &c.* & *Dite-moy, Faite-moy, &c.* Sic *Dite-nous, &c.* Idem dicendum de *Tu, Toy, Vous.* vt *Te hastes-tu?* vel, *Te hasteras-tu?* & *Haste-toy.* Sic *Hastez-vous:* & *Que dites-vous? Que faites-vous?* vel, *Dites-vous cela? Faites-vous cela?* quibus in locis licet scribatur litera *s* in fine verborum, quòd eam poscant, sicut & quidam ex præcedentibus, tamen nullus ei sonus datur, ne eam quæ in pronuntiatione requiritur celeritatem impediat eius prolatio. Haud enim secus pronuntiatur hîc *vous* (sicut paulo antè *Tu* & *Toy*, *Nous* & *Moy*) quàm si (vti dixi) ipsi verbo, Hebraicæ linguæ more, affixa essent. Cæterùm superioribus illis exemplis addenda hæc quoque, *L'as-tu dict? L'auez-*

L'auez-vous-dict? in qua interrogatione pronomen ponitur inter verbum & vocabulum quod verbo ſubſeruit: ideóque tres voces tanquam vnica pronuntiantur. Sic etiam, quum, interrogatione non vtentes, dicimus abſque illa tmeſi, *Tu-l'as-dict, Vous-l'auez-dict.* Sic in prima perſona, *Ie-l'ay-dict.* Et interrogatiuè, *L'ay-ie-dict?* Voco autem tmeſin, illam ſeiunctionem vocularum *as* & *auez* à verbo *dict*. Cui ſimilis videri poſſet ea qua in πεποιηκὼς εἰμὶ, vel πεποιηκὼς εἴλω, vel ὦ, aliquis inter participium & verbum ſubſtantiuum pronomen interponeret: dicens (exempli gratia) εἰμὶ ἐγὼ πεποιηκὼς, vel εἶ σὺ πεποιηκώς: ſicut τοῦτο vel aliud huiuſmodi pronomen interiici videmus, quum dicitur, εἰμὶ τοῦτο πεποιηκώς: vel, πεποιηκὼς τοῦτο εἰμί. Sic etiam Latinè, Sum ego loquutus: vel potius, Loquutus ego ſum. Sum hoc loquutus, Loquutus hoc ſum. Neque tamen eadem vocula, id eſt eiuſdem ſignificationis, Gallico verbo præfigitur: ſed, vt eandem inueniamus, veniendum eſt ad alteram illam periphraſin Græcã, minus quidẽ vſitatam, ſed nõ minus antiquam, ἔχω ποιήσας. Si tamen & Latinos nonnunquam Habeo factum & Habeo dictum pro Feci & Dixi vſurpaſſe concedatur, magis etiam hos quàm illos imitati maiores noſtri dici poterunt. De hoc autem Latino loquendi genere diſſerui in mea DE LATINITATE FALSO SVSPECTA expoſtulatione.

Sic verò & pronomina *Il* & *Elle*, *Le* & *La*, vt

Que dit-il? Que dit-elle? vel, *Dit-il cela? Dit-elle cela? Le* autem & *La*, vt quum dicitur, *Nomme-le, Nomme-la:* siue, *Nommez-le, Nommez-la*. Interdum verò sequente etiam alio pronomine, vt *Di-le moy, Baille-le moy, Preste-le moy.* vbi posterius quoque pronomen nullam pronuntianti moram concedit: sic tamen vt non tanquam verbo cohærens, sicut prius, proferatur. Idem verò quod de pronuntiatione illius *moy*, præcedente *le*, dici potest & de aduerbio loci *là*: quinetiam de particulis *pas* & *point*. vt *Que faites-vous là? Faites-vous pas cela?* vel, *Faites-vous point cela?* item, *Voulez-vous pas cela?* vel, *Voulez-vous pas faire cela?* Atque adeo, alicubi de multis simul particulis pronomen sequentibus idem dici queat: vt in hac oratione, *Ne vous l'ay-ie pas bien dict?* præsertim verò illæ, *l'ay-ie pas*, tanquam cohærentes, proferuntur. Idem & de istis existimandum est, *Il le luy faut dire*. Pro quibus diceretur etiam, aliter verba collocando, *Il faut le luy dire*. Sed hîc post *Il faut*, morula interponi potest, aut siquid morula minus est: quum illic, *Il le luy faut dire*, vocula *Il* à suo verbo seiuncta, ad illud festinet, ideóque nullo nos modo interquiescere permittat: sicut etiam quum dicis *Il faut le luy dire*, nec inter *Il faut*, nec inter illas tres voculas, *le luy dire*, interquiescitur: sed vt illæ duæ, propemodum tanquam vna vox, sic etiam hæ tres ita fere pronuntiantur acsi in vnam vocem coalescerent.

Sed pronomen alicubi ad verbum sequens, potius

potius quàm ad præcedens, pertinere sciendum est: veluti in hac oratione, *Venez me dire la response*, vel *Venez nous dire*, &c. Sic, *Allez luy dire cela*. In hoc igitur loco aliisque huiusmodi nihilo magis in pronuntiatione cum præcedẽte quàm cum sequente verbo coniungendum est pronomen *me*. Atque idem in cæteris huiusmodi locis est faciendum.

OCTAUUM, nos pronomina quædam composita habere, id est, quibus adnexa est particula *ci*, vel *la*. Dicimus enim *Cestuyci*, *Cestuy-la*: & *Ceci*, *Cela*, necnon in plurali *Ceux-ci*, *Ceux-la*. Sciendum est autem, has quæ adiiciuntur voculas, aduerbia natura sua esse: & *ci* quidem, sicut & *Ici* (quod frequentiore in vsu est) esse Hîc (veluti in epitaphiis, *Ci gist honorable homme*, &c. id est Hîc iacet) *là* verò, Illic. Ideóque *Cestuyci* perinde esse acsi diceretur, *Cestuy que tu vois ici*. id est, Iste (nam *Cestuy*, sicut & *Cest*, ex Iste factum puto, quemadmodum Italicum *Questo*) quem tu vides hîc: *Cestuy la* autem, *Cestuy que tu vois là*: Iste quem tu vides illic. Eodémque modo *Ceci* & *cela* esse distinguenda.

Verùm timesin interuenire nonnunquam sciendum est: & dici, *Ce pain ci*, *Ce pain la*: *Ce vin ci*, *Ce vin la*. Eodémque modo cum altero illo pronomine *Cest*; *Cest homme ci*; *Cest homme la*, *Cest argent ci*; *Cest argent la*. Atque his certè in locis vbi ita hæ particulæ à pronomine seiunguntur, id quod de propria illarum significatione dixi, manifestius esse potest. Cæterùm quanuis ita se-

iungi in scribendo soleant, planè tamẽ tanquam cum præcedente nomine, velut illi affixæ, pronuntiantur: ideóque melius in scriptura ẽtiam coniunguntur, aut saltem, adhibita illa copulatrice notula, non omnino disiunguntur: hoc modo, *Cest homme-ci, Cest homme-la.* Sed & eandem pòst *Cest* non malè posuerimus, scribentes, *Cest-homme-ci, Cest-homme-la.*

Nonum est, vnũ idémq; pronomen duobus generibus accõmodari. Nã datiuus *Luy* non tantùm viro sed fœminæ quoq; tribuitur. Dicitur enim, *Ie luy ay dict*, vel *Ie le luy ay dict*, etiã fœminæ illi cuius antea mentio facta fuerit. Sed vbi discrimen ponendum est, dicitur *A elle*, pro Illi fœminæ: sicut *A luy*, pro, Illi viro. veluti quum interrogamus, *L'auez vous dict à luy, ou à elle?* aut etiam pronuntiatiuè dicimus, *Il le faut dire à luy, non pas à elle.* Obserua autẽ, sicut hic datiuus *Luy* vtriusque nobis est generis, ita esse Latinum datiuum Illi, ex quo nostrum illum fecimus: & vicissim vt *Il* tantùm de viro, at *Elle* de fœmina vsurpamus, ita Latinos Ille & Illa, vnde itidem facta nostra sunt vsurpasse. Sed & aduerbium Illic mutatum fuit in *Illec*: quod non omnino obsoleuit.

At verò *Ceci* & *Cela* quo in genere vsurpentur, in sequenti Timemate docebo.

Decimum, pronomen possessiuum in quibusdam loquendi generibus à nobis prætermitti, & quidem articulum alicubi eius loco poni. veluti quum dicitur, *Ie vous preste l'oreille*: & *Preste-*

ſtez moy l'oreille. vel, *Ie vous prie me preſter l'oreille.* Ineptum enim fuerit dicere, *Ie vous preſte mon oreille:* nec minus ineptum, *Preſtez moy voſtre oreille:* vel, *Preſte moy ton oreille.* Sic verò & in Latino ſermone multo elegantius quibuſdam in locis pronomen hoc omittitur quàm ponitur. Atque adeo de eo ipſo loquēdi genere quod Gallico illi reſpondet, dici hoc poteſt. Elegantius enim eſt, Præbe mihi aurem, vel aures, quàm Præbe mihi aurem tuam: vel aures tuas. Ac dubito etiam an vllo modo hanc pronominis adiectionem admittere Latinitas queat: quam itidem conſtat ſingulari numero hîc magis quàm plurali gaudere. Sed quum illa ita numerum ſingularem hoc in loco plurali præferat, vt tamen eo quoque interdum vtatur (an eodem omnino ſenſu, quæri poſſit) ſermo noſter ita præfert vt ab altero abhorreat. Nemo enim dicit, *Preſtez moy les aureilles.*

Cæterùm idem & de perſonæ tertiæ pronomine exiſtimandum eſt: dici nimirum, *Preſter l'oreille*, non *Preſter ſon oreille.* vt *Il ne faut point preſter l'oreille aux flateurs:* non autem, *preſter ſon oreille.* vt Latinè, Aurem aſſentatoribus præbere non oportet. vel, patefacere aurem, ſeu aures (vt Cicero loquutus eſt) aut etiam, dare aures. Sed nec, Aurem præſtare (è quo noſtrum *Preſter l'oreille* ſumpſimus) Latinum non eſt: ſi Martialis non aliter quàm Latinè loquutus cenſeri debet. Et tamen hæc phraſis ex earum eſt numero in quibus noſtrum ſermonem longè à Latina

lingua discedere existimari, in mea expostulatione DE LATINITATE FALSO SVSPECTA, docui.

Addam verò obiter & hoc, nos in eo quoque Latinos imitari, quòd singulari numero vtentes dicamus, *Parler en l'oreille*, *Dire en l'oreille*. Ita enim & Latini, Loqui in aurem, Dicere in aurem, Garrire in aurem, nunquam (opinor) in aures, dicunt.

VNdecimum, peccare sæpenumero extraneos in vsu pronominum *Cestuyci* & *Cestuyla*: ac præsertim *Cestuyci*. Quum enim nos illis pronominibus, & his *Ceci* & *Cela*, indifferenter non vtamur, sed hæc quidem neutro generi (quum videlicet Hoc & Illud significare volumus) illa autem masculino reseruemus: hoc discrimen ignorantes illi sæpe dicunt, *Il m'a dict cestuyci*, *Il m'a respondu cestuyci*: itidémque, *Il m'a faict ceci*: pro, *Il m'a dict ceci*, *Il m'a respondu ceci*: & *Il m'a faict ceci*. Quinetiam *Apres cestuyci*, pro *Apres ceci*, itidem dicentes illos audimus.

Sciendum est autẽ, propriè quidẽ *Ceci* & *Cela* neutro tãtùm generi à nobis accommodari (vti dixi) verùm vbi per tmesin seiunguntur, posito inter *ce* & *ci*, vel inter *ce* & *la*, substantiuo, generi masculino adhiberi. Dicitur enim, *Ce-liure-ci*, *Ce-liure-la*: *Ce-lieu-ci*, *Ce-lieu-la*. Itidémque in plurali, *Ces-liures-ci*, *Ces-liures-la*. Quinetiam *Ceux-ci*, & in fœminino genere, *Celles-ci* dicimus. Verùm sequente vocali *Cest* dicitur: vt *Cest accoustrement*, *Cest homme* (nam *h* sonum hîc suũ, siue

siue potius suam aspirationem amittens, vocalis *o* naturam non mutat) & in fœminino genere, *Ceste*. vt *Ceste femme*. Obserua interim & hoc, ex Latino Iste fieri non solùm *Ceſt* & *Cestuy*, sed etiam *Ce*.

DVODECIMUM, quanuis illas voculas *ci* & *la*, quarum mentionem in proximè præcedente tmemate feci, quidã adiiciant etiã fini pronominis *Celuy*, dicentes *Celuyci*, *Celuyla*: tamen *Cestuyci* & *Cestuyla* dicendum potius esse pro Hic & Ille: at verò pro Is, dici debere *Celuy*, absque vlla adiectione. vt, *Celuy qui aime la volupté, n'aime pas la vertu*, Is qui amat voluptatem, non amat virtutem. Vbi tamen multi dicerent *Celuyla qui aime, &c.* Sic autem in fœminino genere, *Celle qui aime, &c.* Ea quæ amat, &c. potius quàm, *Cellela qui aime, &c.* At verò pro *Celleci* & *Cellela* (licet harum vocularum adiectio non tam dura hoc in genere quàm in fœminino videatur) vsurpari possunt *Cesteci* & *Cestela*.

Obiter autem & de aduerbio *Là* monebo, (quod antea dixi respondere Latino Illic, facto ex pronomine Ille) ei à quibusdam præfigi vocalem *i*, & dici *Ilà*: sed vulgi potius quàm emendatè loquentium hanc adiectionem esse.

NEC verò nihil est præterea de quo moneri à me possent illi potissimum extranei qui planè sunt in nostro sermone nouitij: verùm ea de quibus insuper monendi forent, eiusmodi fere sunt vt ab ipsis obseruari queant. Nam qui dicet, *Moy aime vous*, vel *Moy aime toy*, duplicem à

se errorem committi, non multo post animadvertere poterit. esse enim vtendum hîc synonymo *ie*,& verbum *aime* in fine collocandum: hoc modo,*Ie vous aime*. In altera autem oratione, etiam pro *toy* esse dicendum *te*: hoc modo,*Ie t'aime*, elisa per apostrophum vocali *e*. Quanuis autem his in locis pronomen *Ie*,non *Moy*,vsurpemus:tamen, quum additur alia persona, hoc non illo vtimur. Dicimus enim, *Pierre & moy sommes allez ensemble*:vel,*Moy & Pierre*. non autem *Ie & Pierre sommes*,*&c*.Multo etiam minus, *Pierre & ie*,*&c*. Multo (inquam) minus: quoniã in posteriore loco magis etiam quàm in priore aures offenderet: & inueniri fortasse posset qui *Ie & Pierre* diceret, sed nequaquam,qui etiam, *Pierre & ie*.

Vna eadémque opera obseruare poterit, non dici, *Luy a dict à moy*, vel *Luy a dict à vous*: sed *Luy m'a dict*, *Luy vous a dict*. vel, *Il m'a dict*, *Il vous a dict*. Itidémque in genere fœminino, *Elle m'a dict*.

At de hoc vereor ne superuacaneũ sit te monere, (cuius modò sum recordatus, quum dicerem, *Pierre & moy sommes allez ensemble*) Gallum de se & de alio quopiam loquentem, sui mentionem posteriore loco facere: id est, dicere, *Pierre & moy sommes allez ensemble*: potius quàm *Moy & Pierre*, *&c*. si Petrus,aut is quemcunque nominat,vel par vel non multo sit inferior. Imò etiam plerunque longè inferiori priorem locum tribuunt: víxque aliter, nisi de famulo aut

eo

eo quem omnino sibi subiectum habent, loquuntur: aut etiam de vxore. Nonnulli tamen vxorem quoque illo honore dignantur: sed non sine multorum reprehensione, qui id τῶν γυναικοπαλαμένων esse contendunt.

Ideo autē hac de verebar ne superuacaneum esset te monere, quòd & in quibusdam aliis vernaculis linguis eam modestiam in vsu esse scirem. Sed tamen Latinos multis in locis eam non curasse, in multo etiam pluribus à Græcis neglectam fuisse, ex diligenti obseruatione affirmare possum.

DE ARTICVLO IN QVIBVSDAM LOCIS OMITTENDO, & in nonnullis ponendo vel prætermittendo, pro diuersa significatione. Item, De præpositione ante articulum ponenda vel omittenda.

NEC nihil est certè quod à me de articuli vsu moneris. Quanuis enim magnus vel potius maximus sit eius in nostra lingua vsus, sunt tamen aliquot loquendi genera in quibus omittitur: quædam etiam in quibus vel ponitur vel prætermittitur: sed longè alia hîc quàm illic significatione. Nam dicitur *Faire le comte*, cum articulo, & *Faire comte*, absque articulo: sed *Faire le comte* (ad verbum, Computum facere, à qua voce Latina est illa Gallica: ideóque scribi solet *Compte*) est Rationes putare cum aliquo: at

verò *Faire comte*, est In aliquo pretio habere: cui opponitur Floccifacere, Contemnere, seu Aspernari. Quòd si loquendi genere eandem metaphoram habente interpretari libeat, dicere possumus, In aliquo numero habere, vel ponere. Hæc porro quæ in Gallico & Latino pariter sermone est metaphora, à Græco manasse videri possit: non quòd legerim ἐν ἀριθμῷ τινὶ ἔχω σε, vel τίθημι (nam in meo Thesauro Græcæ linguæ neque huius phraseos neque alîus cuiusquam similis exemplum attuli) sed quòd in quodam prisco extent oraculo hæc verba, -ὅτε τρίτοι, ὅτε τέταρτοι, Οὔτε δυωδέκατοι, ὅτ' ἐν λόγῳ, ὅτ' ἐν ἀριθμῷ: ad quæ respiciens Callimachus dixit, - τῆς δὲ ταλαίνης Νύμφης, ὡς Μεγαρέων, ὅ λόγος, ὅδ' ἀριθμός. Ex his autem ac similibus locis occasionem ita loquendi sumpsisse Latinos credibile est.

Eodem modo, si dicas, *On n'en a pas tenu comte*, vel, *On n'en a pas tenu le comte*, longè diuersa dices. Sic tamen vt fatear dici etiam *Tenir comte*, absque articulo, pro In rationes referre, seu Rationibus inferre: sed potius cum adiectione. vt, *Tenez moy comte de ceci*, (pro quo etiam diceretur, *Mettez moy ceci en comte*.) Hoc mihi in rationes refer. Sed & vice versa adhibetur aliquando articulus huic nomini alteram significationem habenti: verùm & hîc cum adiectione. Dicitur enim, *On n'a pas tenu de luy le comte qu'on deuoit*: pro, *tel comte qu'on deuoit*.

Sic etiam, *Faire la teste*, sonaret, Facere caput: (quod

(quod de ſtatuario aut pictore dici poteſt) at *Faire teſte* genus eſt loquendi in bello vſitatum. Nam *Faire teſte à l'ennemi*, eſt oppoſitũ ei quod dicimus *Tourner le dos*, ſicut & Latini, Terga vertere, & Terga dare. Græci quoque τὰ νῶτα στρέφειν, vel ὑπιστρέφειν: quinetiam τὰ νῶτα δοῦναι: (quod tamen recẽtiorum potius eſſe ſuſpicor.) Homerus μεταβαλεῖν νῶτα dixit. Verùm eſt illud noſtrum *Faire teſte*, in hac ſignificatione, ex eorum numero quorum vim alia lingua vix aſſequi poteſt. Simul enim repræſentat hoſtem hoſti non terga obuertentem, ſed faciem, (niſi Frontem obuertere, aptius dici aliquis exiſtimet) & omnibus modis ei ſe opponentem, ac reſiſtentem, vel ſaltem reſiſtere conantem. Quanuis autem dixerim hãc phraſin opponi illi, *Monſtrer le dos à l'ennemi*, habemus tamẽ illa magis propriã (vt ita dicam) oppoſitionem in iſta, *Monſtrer viſage à l'ennemi*. id eſt, Oſtendere faciem hoſti.

Itidem, ſi de eo qui ſponte carcerem petiit, (vel vt aliquem viſat, vel vt quopiam ibi publico fungatur officio) non autem in eum coniectus fuit: ſi, inquam, de eo dicas, *Il eſt en la priſon*, rectè loqueris: at ſi abſque articulo, *Il eſt en priſon*, maximam certè iniuriam facies. Hoc enim de eo dicitur qui in carcerem ire coactus aut ſaltem iuſſus eſt: ſicut etiam, *On l'a mené en priſon*, potius quàm, *On l'a mené en la priſon*, & *Il eſt allé en priſon*, potius quàm *Il eſt allé en la priſon:* quanuis adiectio articuli tolerabilior videri poſſet in duobus hiſce poſterioribus locis, quàm in

primo illo, *Il eſt en la priſon.*

QVædam præterea ſunt loquendi genera quæ quanuis non aliud ſonare poſſint cum articulo quàm abſque eo, omittendus eſt tamen. Exempli gratia, *Il m'a couppé broche:* & non, *la broche.* Sic etiam, *Il eſt à table,* (ad verbum, Eſt in menſa) & non *Il eſt à la table.* Itidémque, *Il ſe met à table.* Quinetiam, *Il ſe leue de table, Il ſort de table:* potius quàm, *de la table.* Ac licet dicatur, *Se ſeoir à table, Il eſt aſſis à table,* potius quàm *Il eſt aſſis à la table,* ſicut *Il eſt à table,* non *Il eſt à la table:* tamen quum adiicitur genitiuus declarans cuius ſit menſa, præfigitur articulus. Dicitur enim, *Se ſeoir à la table de monſieur, Il eſt aſſis à la table du maiſtre.* Eodémque modo, *Il eſt à la table de monſieur.*

Nec nulla ſunt quæ & cum articulo & abſque articulo efferuntur. vt, *Il eſt en la ville, Il eſt en la court:* vel, *Il eſt en ville, Il eſt en court.* Sed ad hoc poſterius quod attinet, abſq; articulo quidem, vtendum eſt præpoſitione *en,* ante ipſum: quum autem articulum adiicimus, potius præpoſitione *à:* & dicendum, *Il eſt à la court,* vel *Il eſt en court.* At verò *Il eſt en ville,* non ita vſitatum eſt vt *Il eſt en court:* potiúſque dicitur cum articulo, *Il eſt en la ville,* vel *Il eſt à la ville.* Sic & nomen *raiſon* cum quibuſdam verbis & abſq; articulo & cum eo vſurpatur. Dicimus enim, *Faite moy raiſon de cela,* vel *Faite moy la raiſon de cela.* Verùm vbi nomini *raiſon* nihil adiicitur, articulo potius omiſſo dicitur, *Faite moy raiſon.* At verò, *Vous auez raiſon,*

raiſon, & non *Vous auez la raiſon*, dicere ſolemus, quum ſignificare volumus aliquem cum ratione loqui, vel iuſtum & æquum petere. Itidem *Par raiſon* dicimus aduerbialiter, non *Par la raiſon*: vt in hoc prouerbio,

Prouiſion faicte en ſaiſon,
Deſpendue par raiſon,
Fait la riche maiſon.

vbi *Par raiſon* ſonat Cum parſimonia rationi conſentanea.

NONNULLA ſunt item in quibus vni eidémq; nomini vel præfigitur articulus, vel contrà, prout nomen id vel huic vel illi verbo iungitur. Dicendum enim eſt, *Il luy faut laſcher la bride*, non, *laſcher bride*, non adhibito articulo: viciſſim autem, *Il le faut tenir en bride*, non, *tenir en la bride*. Atque adeo vno eodémque verbo vtentes, dicimus, *Il luy faut tenir la bride*, cum articulo: ſed, *Il le faut tenir en bride*, omiſſo articulo.

Quanuis autem hîc de iis potius loquendi generibus agere propoſitum mihi ſit, inter quæ diſcrimen articulus vel poſitus vel omiſſus efficit, & de iis in quibus prætermitti ſemper ſolet: addam tamen, eſſe etiam nonnulla quorum differentia aliunde quàm ex articulo pendet. Sed in præſentia eius tantùm quam præpoſitio efficit, in quibuſdam phraſibus quarum vtraque articulum habet, exempla adiiciam. Dicimus igitur & *Courir par les rues*, & *Courir les rues*: ſed *Courir par les rues* (id eſt, Currere per vicos, ſeu vias vrbis) de quolibet dicitur per vrbem curſi-

tante, aut saltem vrbem propero gradu perambulante: at verò *Courir les rues*, de insano tantummodo.

Sic etiam dicimus *Fuir la guerre*, & *Fuir de la guerre*: sed *Fuir la guerre*, dicitur de eo qui natura est φυγοπόλεμος & φυγόμαχος: at verò *Fuir de la guerre*, Qui ex bello fugit. Latinè autem, ille quidem, Fugitat bellum, vel est fugitans belli, (vt Terentius dixit, Fugitans litium) hic verò Ex bello fugit. Quinetiam vno eodémque verbo Latino vtentes, dicere possumus τὸν φυγοπέλεμον seu φυγόμαχον, (*qui fuit la guerre*) Refugere bellum, Refugere pugnam: alterum, *qui fuit de la guerre*, Refugere ex bello, Refugere ex pugna. Vbi considera præpositionem à Latinis itidem adhiberi, quum de altero loquentes non adhibeant, sed quarto casui hoc verbum iungant. Sed nec simplici Fugere nullus hîc locus est. nam dici etiam potest Fugere bellum (vt Fugere laborem) & Fugere ex bello.

DE QVIBVSDAM QVAE PECCANTVR IN EA parte orationis quam grammatici Verbum appellant.

IN EA orationis parte quæ Verbum appellatur, nihil magis obseruatione dignum est quàm præteritorum vsus. Ad hunc enim, tanquam ad scopulum, omnes fere extranei impingunt, etiam ij qui tantos alioqui in linguæ nostræ

ſtræ cognitione progreſſus fecerunt, vt Gallus nonniſi in longo colloquio extraneos eſſe eos ſit deprehenſurus. Eſtque hic error illis cum iis Belgis qui vulgo VValones appellantur, aut ſaltem, cum maxima eorum parte, communis.

Animaduerte igitur quæ dicam. Gallus, verè Gallus, & inter purè loquentes educatus, dicet de Petro qui eo ipſo die ad ipſum venerit, *Pierre eſt venu à moy*, vel, *Il a parlé à moy*. At verò ſi Petrus ad eum non venerit eo ipſo die, ſed vel pridie, vel multis ante diebus, atq; adeo menſibus, quinetiam annis, dicet, *Pierre vint à moy*, vel, *Il parla à moy*.

At extranei, & VValones plerique (etiam ſi Gallicè loqui ſibi videantur) de Petro, qui non ſolùm eo ipſo die, ſed ante paucas horas ad eos venerit, dicent, *Pierre vint à moy, Il me vint parler, &c.* Atqui Gallus (qualem dixi) hoc audiens, & eum qui loquitur, præterito illo vti, non abuti, exiſtimans, nihil minus quàm Petrum eodem quo hæc dicuntur die veniſſe putabit.

Viciſſim autem, de Petro qui non eo ipſo die, ſed pridie, aut multis ante diebus, vel menſibus, aut etiam annis, ad eos venerit, dicent, *Pierre eſt venu à moy, Il a parlé à moy*. Quibus auditis Gallus Petrum eodem quo hæc de ipſo dicuntur die, potius quàm ante eum diem (ſiue paulo ſiue multo ante) veniſſe exiſtimabit. Expectaret enim potius, *Pierre vint à moy, Pierre parla à moy*: ſi id eo ipſo die factum non eſſet. Fateor alioqui poſſe dici *Il eſt venu*, de eo etiam qui ante

illum diem venerit: sed hoc est discrimen, quòd, quum dicis *Il vint*, auditor, etiamsi nihil addas, intelligit, eum non eo ipso quo hoc dicis die venisse: at si, *Il est venu*, incertus erit an eo ipso die, an verò ante eum diem: sic tamen vt potius de eo ipso die intelligat: quoniam (vti dixi) si id factum ante eum diem fuisset, existimaret te dicturum potius fuisse, *Il vint*.

Denique, sicut dicendum est, *Pierre est auiourdhuy venu vers moy*, siue, *est venu ce matin vers moy*: vel, *Pierre a parlé auiourdhuy à moy*: aut, *a parlé ce matin à moy*: non autem, *Pierre vint auiourdhuy vers moy*: siue, *Pierre vint ce matin vers moy*: vel, *Pierre parla auiourdhuy à moy*, aut *parla ce matin à moy*: sicut inquam cum illis aduerbiis iungitur *venu*, non *vint*: ita vicissim dicendum est, *Pierre vint hier vers moy*: potius quã *Pierre est venu hier vers moy*. Fateor tamen priorem illum abusum magis etiam quàm hunc aures offendere.

IM perfecto quoque præterito eos sæpe abutentes audimus. dicunt enim, *Pierre me venoit parler*, pro, *Pierre m'est venu parler*. Itidémque, *Auiourdhuy ie rencontrois Pierre, & luy faisois compagnie iusques en sa maison*: quum dicendum sit, *Auiourdhuy i'ay rencontré Pierre, & luy ay fait compagnie iusques en sa maison*. Sic autem & quum de eo loquuntur quod factum est ante illum quo id narrant diem. dicunt enim, *Ie rencontrois hier Pierre, & ie luy disois, &c.* vel, *Ie rencontrois Pierre le iour de Pasques, & ie luy disois, &c.* quum hîc quoque vtendum sit altero illo præterito: hoc modo,

modo, *Ie rencontray hier Pierre, & ie luy di.* Item, *Ie rencontray Pierre le iour de Paſques, & ie luy di.* Quibuſdam verò locis adhibent, vel *I'eſtois, Tu eſtois, Il eſtoit:* vel, *Ie fu, Tu fus, Il fut:* vtrumq; perperam. vt in hac oratione, *Quand il me diſoit cela, i'eſtois bien marri:* vel, *Quand ie luy diſois cela, il eſtoit bien marri:* aut vtendo illo præterito perfecto, *Quand il me diſoit cela, ie fu bien marri.* quum dicendum ſit, *Quand il m'a dict cela, i'ay eſté bien marri:* vel, *Quand il me dit cela, ie fu bien marri:* (& in reliquis duabus perſonis ἀναλόγως) id eſt, Quum mihi illud dixit, valde mœſtus fui: aut, mœſtus eſſe cœpi. Neque tamen illo priore modo loqui non poſſet aliquis, *Quand il me diſoit cela, i'eſtois bien marri:* verùm hoc ſenſu, Valde mœſtus eram tum temporis quum illud mihi dixit. At illi ſignificare volunt quod dixi, Quum mihi illud dixit, valde mœſtus eſſe cœpi: intelligentes, mœſtitiam ex eo quod dictum ſit, fuiſſe ortam.

Alicubi autem viciſſim, vbi imperfecto præterito vtendum eſt, alio vtuntur. Dicunt enim, *Ce cheual fut bon quand ie l'achetois:* quum dici debeat, *Ce cheual eſtoit bon quand ie l'achetois.* vel, *quand ie l'achetay.* Sic etiam, *Le cheual qu'il me donnoit, fut vn bon cheual.* pro, *Le cheual qu'il me donna, eſtoit vn bon cheual.* Atque adeo audiuntur nonnulli ita loquentes, *Quand ie voyois Pierre, il fut malade.* pro, *Quand ie vi Pierre, il eſtoit malade.*

Peccant & aliter in Temporum vſu extranei: atque hac in parte magis quàm alia vlla procli-

uem esse lapsum fateor. Hoc autem prædicere, est certè illos monere vt hîc potissimum nostri sermonis attenti sint obseruatores.

Peccant verò & in vsu Modorum, (sed rarius quàm in Temporum) vnum pro altero vsurpantes: vt in hac oratione, *Ie luy demandois cela, mais il ne voudroit m'accorder.* quũ dicendum sit, *Ie luy demandois cela, mais il ne voulut pas me l'accorder.* siue, *Ie luy demãday cela, mais, &c.* vel, *Ie luy ay demandé cela, mais il n'a pas voulu, &c.* Similis vel potius idem error est in hac oratione, *Ie le priois de cela,* (aut *Ie l'ay prié de cela*) *mais il ne voudroit, &c.* Vt autem *voudroit* habere locum posset, præcedere deberet, *Ie le prierois:* & in altera illa oratione, *Ie luy demanderois.*

QVOD verò ad terminationem attinet, non ab illis solùm sed à multis etiam Gallis, ac præsertim à vulgo, sæpissimè in præterito perfecto peccatur: vel potius in præteritorum perfectorũ (duo enim habere nos, modò ostendi) altero. Dicunt enim multi, *I'alli, Tu allis, Il allit:* quum dicendum sit, *I'allay, Tu allas, Il alla.* Itidémque, *Ie bailli, Tu baillis, Il baillit:* pro, *Ie baillay, Tu baillas, Il bailla.* Sic *Ie m'esueilli, &c.* pro *Ie m'esueillay, &c.* Verùm & in aliis plerisque peccatur verbis, quæ sunt quidem coniugationis eiusdem, sed non itidem duplicem *l* in fine habent. Audias enim & qui dicant, *Ie l'aimi, Ie luy parli,* & *Tu luy parlis,* & *Il luy parlit:* pro *Ie l'aimay, Ie luy parlay,* & *Tu luy parlas,* & *Il luy parla.* Sic *Ie luy mandi,* & *Ie luy demandi, &c.* pro *Ie luy manday,* & *Ie luy demanday,*

manday, *&c.* Sed tamen non tam frequenter (quantum quidem me obseruare memini) in his aliisve peccari solet verbis, quàm in iis quæ priore loco in exemplum attuli.

Contingit autem in hoc errore quod in aliis quamplurimis: nimirũ vt quemadmodum hæc litera pro illa, ita etiam illa pro hac ponatur. Nam vt *I'alli*, *Ie bailli*, *Ie mandi*, dicitur, pro *I'allay*, *Ie baillay*, *Ie manday*: ita vice versa, *Ie cueillay*, & *Ie recueillay*, *I'escriuay*, *Ie renday*, *Ie venday*, pro *Ie cueilli*, & *Ie recueilli*, *I'escriui*, *Ie rendi*, *Ie vendi*. Sed hic reciprocus (vt ita dicam) error potius in prima persona quàm in secũda & tertia committitur. Siquidem multorum aures qui dicent *I'escriuay*, *Ie venday*, abhorrebunt tamen ab his tertiis personis, *Il escriua*, *Il venda*.

Sed nullane hîc regula tradi potest? Imo verò potest, & quidem facillima ac certissima. Verba in quorum infinitiuo modo *e* præcedit *r*, poscunt *a* in illo præterito: in quorum infinitiuo *e* sequitur *r*, postulant *i*. Vides enim esse *e* ante *r*, in *Aimer*, & *Aller*, quæ habent præteritum *I'aimay*, *Tu aimas*, *Il aima*: *I'allay*, *Tu allas*, *Il alla*. Vicissim autem esse *r* ante *e*, in *Escrire*, & *Rendre*: quæ habent præteritum *I'escriui*, *Tù escriuis*, *Il escriuit*. *Ie rendi*, *Tu rendis*, *Il rendit*. Existimã autem pluralem vtrobique numerum ἀναλόγως scribi ac pronuntiari.

Admittitur error & in terminatione primæ indicatiui modi personæ: (verùm multo leuior, id est, multo minus aures offendens: ideóque

multo etiam minus in reprehenſionem incurrens: quum tamen in eum multo plures incidant,& quidem plerique etiam qui è vulgo non ſunt) Quanuis enim litera *s* ſecundæ verborum perſonæ propriè conueniat, (vt Latina etiam verba, atque adeo Græca, eam in illa perſona amare videmus) non autem primæ: in multis tamen huic quoque perſonæ à nonnullis ea datur ac præſertim poſt *i*.Scribunt enim,*Ie ſuis,Ie puis, Ie dis, Ie lis :* id eſt, Sum, Poſſum, Dico, Lego. Quinetiam,*I'eſcris,*id eſt,Scribo.Sic *Ie fais,Ie me tais*.Item,*Ie crois,Ie vois,Ie cognois*. Item, *I'apperçois,Ie reçois*. Dico autem, præſertim poſt *i*, non autem,poſt *i* tantummodo:quoniam idem & in aliis multis eos facere verbis videmus. vt, *Ie crains, Ie viens*. Rectius tamen illam literam omitti ſciendum eſt: præterquam in quibuſdam monoſyllabis,vt *Ie ſuis,Ie puis,Ie dis,Ie lis:*& quidem ſequente vocali.vt *Ie ſuis ami de Ian, Ie puis aſſeurer cela,Ie dis vne raiſon,Ie lis vn liure*. Potiſſimum verò illa duo prima, cum hac litera *s*, vocali ſequente, pronuntiantur. Quinetiam in fine quorundam aliorum, non præcedente *i*, à nonnullis molliendi ſoni cauſa pronuntiatur:vt paulo pòſt docebo.

Verùm in præterito imperfecto obtinuit propemodum vſus vt hac litera *s* non minus prima quàm ſecunda perſona claudatur. Scribitur enim *I'aimois*, ſicut *Tu aimois:* & *Ie faiſois, Ie diſois, I'allois:* (ſicut *Tu faiſois, Tu diſois, Tu allois*) præſertímque *I'eſtois, I'auois*, valde ſunt vſitata.

Hoc

Hoc autem inde contigit, quòd antea diceretur *I'aimoye, Ie faiſoye, &c.* (qua terminatione Marotum noſtrum ſuis vſum eſſe in rhythmis, necnon quoſdam hodiéque non in rhythmis ſolùm ſed in ſoluta etiam oratione vti videmus.) quum autem vſus breuitatis ſtudioſus vocalem *e* ex fine illarum vocum paulatim extriuiſſet, & remanſiſſet *I'aimoy, Ie faiſoy*, placuit ad molliendum ſonum, literam *s* addere. ſic tamen vt multo plures iis tātùm in locis vbi ſequitur vocalis, quàm conſonante etiam ſequente, eam adiiciāt. Multi enim ſcribunt & pronuntiant quoque, *I'alloys à la ville*, qui tamen non ſolùm pronuntiant, ſed & ſcribunt *I'alloy dehors*, non *I'alloys dehors*. Ac ſunt etiam qui non *s*, ſed apoſtrophi notam fini harum perſonarum adiiciunt, ante conſonantem (vt in voce *grand* nota illa ſequente etiam conſonante locum habet) ea eliſionem vocalis *e* indicantes. Cæterùm quemadmodum hîc euphoniæ gratia literam *s* aſſumi dixi, ita etiam ſunt qui primis præſentis indicatiui perſonis eam adiiciant quæ alioqui duriuſculum habere ſonum videntur: dicentes, *Je meurs, Ie dors, Ie ſors, Ie requiers.*

Non dubitabit autem de eo quod dico, videlicet vſum literam *s* euphoniæ cauſa iis quos dixi locis adieciſſe, quicunque recordabitur eorum quæ à me in præcedentibus de ea annotata fuerunt: nimirum nos, Græcorum exemplo, eam aduerbio ſeu præpoſitioni *Juſque* ex Latino Vſque factæ ſolere addere, quum vocalis ſequitur:

dicentes, *Iusques à ma maison*: & tamen *Iusque chez moy*, absque *s*. Græcorum (inquam) exemplo: quippe qui eodem modo aduerbiis ἄχρι & μέχρι: quæ illam ipsam significationem habent, literam *s* sequente vocali adiiciunt.

Et verò maiores nostros adeo literam *s* amasse sciendum est, vt ea non solùm vterentur in multorum vocabulorum fine, quemadmodum & nos, sed in quorundam fine, etiam abuterentur: veluti quum recto quoque nonnullorum nominum casui eam adiiciebant. Atque id testantur eorum quidam etiam rhythmi prouerbiales: ex quibus sunt hi, (pulcherrimam sanè & maiorum nostrorum sapientia dignissimam sententiam continentes)

Qui de ses suiets est hays,
N'est pas seigneur de son pays.

Neque enim dubium est quin *pays* cum *s*, sicut & nos, proferrent.

DE VSV LECTIONI HARVM HYPOMNESEΩN ADdendo, & de veris præceptionibus à falsis eius ope distinguendis.

QVEMadmodum in Græca & Latina aliisque linguis quæ à nullo nunc populo cum lacte hauriuntur, sed è libris tantummodo petuntur, optimus loquendi magister habitus fuit vsus: non dubium est quin eodem modo in omnibus iis quæ vernaculæ sunt eum pro optimo habere magistro

magistro debeamus. Itaq; tibi etiam qui Gallicæ es studiosus, vt eum consulant, & (postquam aliunde prima rudimenta didiceris) lectioni harum Hypomnesewn socium adiungas, sum autor. Spero enim fore vt quum ab his iam prænonitus ad eum accedès, magno tibi eas esse adiumento fatearis: quòd earum memor, diligentius (& facilius tamen) quæ obseruanda sunt obseruare possis. Simul autem vsus, (modò cum ibi quæras vbi quærendum esse, in epistola huic libello præfixa docebo) tanquam Lydius lapis tibi erit, ad quem præceptiones eorum qui grammaticas institutiones scripserunt, examinans, veras à falsis distingues. Apud tres quidem certè qui in manus meas venerunt, & non paruo in pretio sunt, non paucas te inuenturum prædico, non in illarum sed in harum numero ponendas.

Quoniam autem probando exemplis quod dico, & me suspicione sum liberaturus, & te cautiorem earum institutionum lectorem redditurus, ad ea iam venio: & quidem initium à scriptura primarum Indicatiui modi personarum sumens: quòd in præcedente capite de hac disseruerim.

Quum igitur literam *s* malè quosdam personis illis, aut saltem pleriſque illarum, adiicere ostenderim, vtpote dicentes, non solùm *Ie suis*, *Ie puis*, *Ie dis*, *Ie lis*, (in quibus, vel potius in quorum duobus prioribus præsertim vsus literam illam recepit, & ibi quidem potissimum vbi

vocalis sequitur) sed etiam *Ie fais*, *Ie cognois*, *Ie crains*, *Ie viens*, pro *Ie fay*, *Ie cognoy*, *Ie crain*, *Ie vien*: ecce tamen vnum eorum qui (pag.145.) non solùm in prima præsentis Indicatiui persona scribit *Cognois*, præfixa particula *Ie*: sed etiam in Imperatiuo, pro Cognosce. Et tamen in hoc imperandi modo literam *s* sonantes ne eos quidem audimus qui eam in Indicatiuo sonant.

Idem (pag.101.) postquam scripsit dicendum esse, *I'aimasse*, *Tu aimasse* (ita enim scriptum est absque *s* in fine) *Il aimast*: in plurali autem, *Nous aimissions*, *Vous aimissiez*, *Ils aimassent*: atque addidit; Fieri à perfecto priore, *I'aimay*, *I'aimasse*: pauciſſimis verbis interiectis, subiungit, In hac coniugatione, persona prima & secunda mutant *a* in *i*, in antepenultima. Caue (est enim lubricus locus, in quo multi labuntur) dicas, *Aimassions*, *Aimassiez*: sed *Aimissions*, *Aimissiez*: *Louissions*, *Louissiez*: *Blasmissions*, *Blasmissiez*. Hæc ille: ibi certè labens vbi alios vt à lapsu caueant admonet. Potius enim aut *I'aimisse*, *Tu aimisses*, *Il aimist*, eodémque modo *Nous aimissions*, *&c.* dicendum est: aut certè, *I'aimasse*, *Tu aimasses*, *Il aimast*, itidémque *Nous aimassions*, *&c.* dicere oportet. Nonnulli tamen (respondebit aliquis) eorum etiam qui *I'aimasse* dicunt, itidémq; cæteris duabus personis singularibus & tertiæ plurali hanc vocalem *a* tribuunt, dicunt *Aimissions*, non *Aimassions*: & *Aimissiez*, non *Aimassiez*. Fateor: sed non ij quibus rectè loquendi laus datur. Esto tamen, ex his quoque nonnullos ita loqui,

loqui, nonnulli certè pro omnibus habendi non sunt. Possum autem & hoc addere, eos ipsos qui *Aimissions* & *Aimissiez* dicunt (ex eorum quidem numero qui è vulgo non sunt, sed iudicio tantum valent, quantum ad examinandum sermonem satis esse potest) fassuros esse, *Aimassions* & *Aimassiez* dici potius debere, sed mollius alterum sibi videri.

Quid igitur dicere præceptor ille debuit? Nequaquam certè monere vt caueremus ab illa scriptura quæ *a* retinet: sed, vtraque posita, (& hac quidem priori loco) addere, quosdam tamen qui euphoniam analogiæ anteponunt, per *i*, non *a*, hæc efferre: quum alij in iis demum verbis ab analogia recedant in quibus contingit vt *a* in præcedente quoque syllaba habeamus: veluti in *Baillassions*, *baillassiez*. Sed magis etiam vbi *a* solum (id est non coalescens cum *i*, per diphthongum) in præcedente syllaba est. vt in *Allassions*, *allassiez*: *Parlassions*, *parlassiez*: in *Blasmassions*, *blasmassiez*: quod nescio quomodo magis etiam quàm illa præcedentia durum videtur. In his certè aliisque huiusmodi, potiùs *-issions* & *-issiez*, quàm *-assions* & *-assiez*, meritò pronuntiatur, ob præcedentem in prima syllaba eandem vocalem: cuius potius quàm alîus iteratio κακοφωνίαν quandam habet, quòd per se quoque hæc vocalis, propter πλατειασμὸν quem efficit, minus quàm cæterarum quæpiam, grata auribus accidat: præsertim verò in nonnullis.

Licet autem hæc dicam, non ignoro, patrem

etiam meum *Aimissions* & *aimissiez* scripsisse: sed vicissim, cum in loquēdo *Aimassions* & *aimassiez* vsurpasse scio: & quum vtramque poni scripturam iussisset, prætermissam alteram fuisse. Ex iis enim erat qui non lubenter euphoniæ gratia analogiam aspernantur: & sæpe iis qui ab ea simúlque à frequentiore vsu, dum paulo molliori sono studebant, recedere soliti erant, multa ipsorum etiam Græcorum verba quæ *κακοφωνότατα* videri possunt, obiiciebat. Atque hoc è numero participium *κεκακωκὼς* fuisse memini.

SED multo etiam periculosiora quædam ab hoc ipso præceptore traduntur. Nam quum vitium quidem sit, iis dare literis sonum quæ, quanuis scribantur, obmutescere debent, sed non minus vel potius multo maius sit, eas quæ sonare debent, sono suo priuare: idem ille in eadem Gallicæ linguæ institutione, (pag. 26.) discipulos suos literarum *rr* alteram duntaxat pronuntiare iubet in *Arrester*, in *Verray*, in *Larrecin*. Qua tamen pronuntiatione qui vtetur, meritò certè (nisi vt peregrinus excusetur) ab omnibus explodetur. Sed hic præceptor naturale suæ dialecti vitium (quod nihil minus quàm vitium esse existimauit) pro regula suis esse voluit: perinde nimirum acsi quis ex iis qui natura balbi sunt, aut quibus aliquo casu non aliter quàm balba de nare posse loqui contigit, cæteros quoque ab illius literæ *r* pronuntiatione abhorrere vellet. Tanti est nostram linguam ex eo discere qui inter purè loquentes natus atque educatus

tus fuerit.

Idem in *Baailler* vult alterum *a* ſuperuacaneum eſſe, non intelligens ita ſcribi vt differat à *Bailler*, quod Tradere ſignificat: quum huius quidem prima ſyllaba corripiatur, illius autem (quod eſt Oſcitare) producatur.

Idem in *Affection* alteram *f*, vt in *Verray*, alteram *r*, ſuperuacaneam eſſe arbitratur: quum tamen omnes qui bene pronuntiare exiſtimantur, hac in re illi repugnaturos ſciamus.

Faciunt autem hæc vt non dubitem quin ex iis etiam fuerit qui in *Regne* (ſicut & verbo *Regner*) & in *Digne*, & *Signe*, *Signer*, literam *g* ſono priuant, pronuntiantes *Rene*, *Renet*, *Dine*, *Sine*, & *Siner*.

Sed vitium illud omiſſæ in pronuntiatione literæ *r* multo magis quàm hæc poſteriora aures offendit: ac longè etiam hoc quàm illud eſt rarius. Nam ex iis quoq; qui media in Gallia (& quidem Pariſiis fortaſſe) nati atque educati fuerint, nonnulli literam *g* (exempli gratia) in illis vocabulis aliiſque huiuſmodi ſono ſuo priuant, qui aliquem idem in litera *r* facientem in iis quas attuli vocibus, aut vllis aliis, exibilarent atque exploderent: non minus quàm eum qui *guere* pro *guerre* proferret: quem etiam errorem in Lotharingis quibuſdam animaduerti.

ILLORUM præceptorum alius (pag. 131.) pro *Ie mene*, *Ie demene*, *Ie ramene*, *I'emmene*, dici etiam ait, *Ie meine*, *Ie demeine*, *Ie rameine*, *I'emmeine*: quæ tamen in iis vrbibus quæ verè Gallicum ſermo-

nem habent (vulgus ſemper excipio) planè inaudita eſſe puto.

Idem (pag.132.) pro Vado nobis horum duorum, *Ie vois* & *Ie vay*, optionem dat: quum tamẽ *Ie vois* non minus reprehendendum ſit quàm Pariſinum (id eſt, Pariſinæ plebi vſitatum) *Ie voa*, ſiue *Ie voas*. Imò maiori etiam reprehenſione dignum dicere poſſumus: quum *Ie voa* nihil aliud quàm Vado ſignificare poſſit, at *Ie vois*, ſiue *Ie voy*, ſit Video.

Idem cum alibi, tum pag.55, ſe ne hoc quidem ſcire oſtendit, Gallicam linguam ante primam verbi perſonam nolle omitti pronomen *ie*. Ibi enim ſcribit, *Enuiron la ſainct Michel ay receu vos lettres*. Omnino enim dicendum eſt *I'ay receu*: quum multi ne in rhythmis quidem talem omiſſionem, quantumuis coactam, excuſent. Loquor autem de *ie*, cui eliſa per apoſtrophum non eſt litera *e*, vt in *i'ay*. cum illa enim eliſione nihilo minus in carmine noſtro locum haberet quàm *ay*, vtpote non creſcente numero ſyllabarum.

In quodam loco qui hunc vna tantùm pagina præcedit, huic errori alium addit, dicens, *Ie vous en ay fait mention en la derniere que vous ay enuoyé*. Nam *ie* alteri pronomini *vous* præponendum fuit (quanuis hîc potius quàm illic omiſſio huius pronominis excuſari poſſet, quòd in priore orationis parte præcedat) & dicendum *enuoyee*. Vt autem *ie* illis in locis, ita *vous* in hoc prætermittit, pag. 80. 81, *Faites la reuerence aux anciens*

anciens que rencontrerez. Nam Gallicæ linguæ puritas poſceret, *vous rencontrerez:* ac multi ne hanc quidem omiſſionem alibi quàm in rhythmis excuſarent.

Idem articulum in nonnullis vbi neceſſarius eſt locis omittit. veluti in his locis, *Indignation de roy eſt redoutable, Indignation des roys eſt redoutable, Indignation d'vn roy eſt redoutable, Indignation royale eſt redoutable*. His enim omnibus in locis ſubſtantiuum nomen *indignation* articulum *la* ſibi vult præfigi, eliſa vocali *a* per apoſtrophum, hoc modo, *L'indignation d'vn roy, &c.* Atque ita diceretur, *La fureur d'vn roy eſt redoutable:* non, *Fureur d'vn roy, &c.*

Atque vt articulum hîc, vbi requiritur, prætermittit, ſic alibi ponit vnde abeſſe debet. Dicit enim pag. 42, *Où eſt la Marguerite, pour laquelle i'endure ſi extreme martyre?* Atqui (vt etiam pater meus annotauit) articuli nominibus propriis virorum aut fœminarum nunquam præponuntur. Quod tamen quum ſcriberet, dialectos quaſdam eſſe non ignorauit quæ eum præponerent, & quidem fœminarum nominibus potiſſimum (ex quibus eſt Sabaudica) ſed hoc de iis intellexit locis vbi Gallicæ linguæ puritas ſeruatur. Mihi verò, dum hæc ſcribo, veniunt in mentem duo nomina quæ patris mei præceptionem refellere videri poſſunt, *Magdeleine* & *Lazare*. dicimus enim *La Magdeleine*, & *Le Lazare*. Sed reſponſio in promptu eſt. non enim de quauis Magdalena nec de quolibet Lazaro

loquentes articulum præfigimus, sed tum demum quum de iis personis quarum in Testamento nouo fit mentio, nobis est sermo: adeo vt ibi sicut nouum, ita etiam χαριτικὸν & ἐμφατικὸν esse articulum dicere possimus.

Tradit idem, in hoc loquendi genere, *Allons nous en*, esse *nous* accusandi casus, quemadmodum *vous* in isto, *Leuez vous*. Quod sanè magnã sermonis nostri insciti am arguit. animaduertisset enim alioqui, longè diuersam esse pronominis naturam vno in loco, ab ea quam habet in altero: & esse quidem *vous* accusatiui casus in *Leuez vous*, at verò *nous* nominatiui in *Allons nous en*. Atque hoc ex iis etiam quæ attuli antea exemplis, (pag. 162, & sequentibus) manifestum esse poterit. Ad accusatiuum quidem certè quod attinet, qui est in *Leuez vous*, eum Latina quoq; phrasis nobis ante oculos ponit. Itidem enim Latinè dicitur Leua te. Latinè hoc dici posse negas? eadem opera Ouidium Latinè loquutũ esse nega, cuius ita loquentis protuli locum in meo DE LATINITATE FALSO SVSPECTA libello.

Magnam eorum etiam quæ inter linguæ huius rudimenta numerari debent, ostendunt ignorationem hæ scripturæ, *Plent* pro *Pleust*, *Voulut* pro *Vouluſt*. Nam *Plent* est Placuit, itidémq; *Voulut*, Voluit: at pro Placeret & Vellet, scribendum est *Pleust* & *Vouluſt*. Et tamen scribere solet *Plent* non minus pro Placeret quàm pro Placuit. vt pag. 215, *Plent à Dieu que m'eussiez dit cela deuant*.

nant. Sic etiam passim apud eum legitur hoc *Pleut* in verborum coniugationibus, in vniuscuiusque nimirum Optatiuo, *Pleut à Dieu que*, non *Pleust*, *&c.* Et in coniugatione verbi *Voulоir*, scribit, *Pleut à Dieu que ie vouluſſe, tu vouluſſes, il voulut:* duplici errore. nam & *Pleust* & *Voulust* scribendum est. Est autem tale omnino discrimen inter *Pleut* & *Pleust*, inter *Voulut* & *Voulust*, quale inter *Vint* & *Vinst*, quorum à me in præcedentibus factam fuisse mentionem arbitror. Nam vt Venit, est *Il vint:* (sicut etiam *Il est venu*) at verò Vt veniret, *A fin qu'il vinst:* & Vtinam veniret, *Pleust à Dieu qu'il vinst:* ita Voluit, est *Il voulut* (sicut & *Il a voulu*) at Vt vellet, *Afin qu'il vouluſt:* Vtinam vellet, *Pleust à Dieu qu'il vouluſt.* Sic etiam differunt *Fut* & *Fust.* nam *Il fut*, est pro Fuit: at *Afin qu'il fust*, Vt esset: *Combien qu'il fust*, Quanuis esset. Et tamen *fut* ab eo in tali loco scribitur, *Nonobstant qu'ainsi fut comme vous en faites le conte, si ne deuriez vous, &c.* Atque adeo in ipsa etiam pronuntiatione aliquid discriminis ponimus, tantùm corripientes quæ *t* solo scribuntur, quantum producentes quæ habent *st.* Sic autem & *Aimat* pro *Aimast* scribit, *Pleut à Dieu que il aimat*, pro *Pleust à Dieu que il aimast.* Sic etiam *Tot* vbique scribit, non *Tost*, & *Tantot*, non *Tantost:* in qua itidem scriptura pronuntiationem corrumpit.

In illa autem verbi *Voulоir* coniugatione Optatiuum Gallis incognitum affert, *Ie vouliſſe, Ils vouliſſent.* Dicimus enim *Je vouluſſe, Ils vou-*

luſſent: vel, *Ie vouſiſſe, Ils vouſiſſent.*

Alia multa, vel potius plurima, ſunt in quibus ſuos diſcipulos ea quæ ſint dedocendi docet. Nam vt paulo antè *Ie meine, Ie rameine, I'emmeine, Ie demeine,* pro *Ie mene, Ie ramène, I'emmene, Ie demene,* ab eo dici oſtendi: ita etiam non *Roine,* ſed *Reine,* docet dicere: *Antem,* non *Antam:* quũ tamen vox illa ex duabus hiſce Latinis facta ſit, Ante annum, vt antea admonui.

Verùm, vt ea quæ aliquis ſola pronuntiatione differre dixerit, miſſa faciam (quanuis & in hac multum ſit poſitum, & huius errorem error ſcripturæ comitetur) addo, eum vocibus etiam nonnullis abuti. Legimus enim apud eum, pag. 80, *Monter vns degrez,* & *I'ay receu vnes lettres:* vbi harum vocum *vns* & *vnes* abuſum eſſe dico: & dicendum potius ei qui ab vſitato & puro ſermone non vult diſcedere, *Monter des degrez,* & *I'ay receu des lettres.* Pag. autem 211, ſingulari numero pro plurali abutitur: dicens eandem eſſe ſignificationem huius phraſis, per verbum, *I'ay tant à faire:* quàm huius, per nomen, *I'ay tant d'affaire.* Siquidem voculam *tant* pluralem, non ſingularem, poſtulare aio.

Particulam quampiam alicubi omittens, alicubi addens, à Gallici ſermonis puritate diſcedit. Nam pag. 229, legimus, *Si i'eſtois de luy, Si i'eſtois comme luy, Si c'eſtoit à moy à faire, ie luy donnerois à cognoiſtre qu'il m'a fait grand deſplaiſir.* id eſt, Si eius loco eſſem, Si mea res ageretur. Fateor certè nos tot phraſibus exprimere quod illa verba

verba Latina sonant: (atque adeo vnam illis posse adiici, *Si i'estois en sa place*, vel *en son lieu*: quæ Latinæ illi planè respondet, Si eius loco essem) sed primam illam, *Si i'estois de luy*; satis Gallicam esse nego: atque vt talis haberi queat, particulam *que* addendam esse dico, hoc modo, *Si i'estois que de luy*. Quanuis enim vis quam hæc particula in isto loquendi genere habet, vix vlla vel Græca vel Latina potest exprimi: tamen eius omissio phrasin nobis alioqui vsitatissimam, propemodum peregrinam reddit. Sic verò & aliis quibusdam loquendi formulis adhibetur, vbi idem ex eius omissione contingeret. Præsertim verò in ista, *Vous faites que sage de n'entreprendre pas cela*. Siquis enim hîc dicat, *Vous faites sage*, omnino, vt ξένος, quiddã ξενίζον loquetur: & intelligetur tamen fortasse, propter adiectionẽ: verùm si dicat tantummodo, *Vous faites sage*, periculum erit ne etiam ἀξιώτητόν τι, aut saltem ἀμφίβολον, loquatur: quum illa eadem verba significare possint, Facis sapientem: siue, Reddis sapientem: addendo aliquod nomen: vt, *Vous faites sage Pierre*. Interrogatus autem aliquando de hoc loquendi genere, vnde istam particulam haberet, respondi quæ interrogantibus satisfecerunt, ideóque non indigna puto quæ hîc quoq; audiantur. Respondi igitur mihi videri elliptica esse hanc phrasin, *Vous faites que sage*: & τὴν ἔντειλαν esse, *Vous faites ce que feroit vn sage*. atque ex hac particulam *que* remansisse. Et hæc quidem obiter:

Sed quum particulam quampiam ab eo alicubi prætermitti, alicubi verò adiici dixerim, vt omissionis exemplum attuli, ita etiam adiectionis hoc erit, *Montez à cheual, donnez des esperons, & si courez à bride aualee.* Quid enim hîc vocula *si* agit?

Quinetiam ea quæ Parisiis, aut alibi, vulgus tantùm, & quidem ipsa potissimum fæx plebis in ore habet, pro Gallicis ab eo obtruduntur: vt *Tretous* & *Tretant*, pag. 76. Talia sunt ista quoque, *Nani* & *Nanin*, (pag. 194.) pro *Non*. Tale est & *Illeques*, pag. 189. Tale & *C'est mont*, pag. 194. Ita enim ab eo scribitur, existimante dici *mont*, quasi *mout*: quum tamen Parisiis & alibi audiatur *C'est mon*, non *C'est mont*. Sunt autem assentientis verba illa. nam si dixero, *C'est vn bon homme*, vel *C'est vn fin homme*: assentiendo mihi respondebitur, *C'est mon*. Affert porro & aliam huius vocalæ deductionem, nimirum à Græca particula μήν: cui tamen deductioni illa eius scriptura, quæ *t* adiicit, repugnaret. At verò *Mon* quo vtimur quum dicimus, *Asçauoir mon si, &c.* videri mihi esse à Græco μῶν, vel potius esse ipsum μῶν Græcum, iampridem declaraui.

Sunt porro & alia quædam non minus plebeia apud eum vocabula. Quòd si pro Gallicis recipienda essent quæcunque plebi sunt vsitata, maxima certè ad Gallicam linguam fieri accessio posset. Nam (vt non vltra vnam ex iis quæ modò propositæ fuerunt vocibus progrediar) vt in *Tretous* particula *tre* præfixa est voci *tous*: ita

ei

ei *fin* postponit, quum dicit *Tout fin neuf*. Ac, ne hac quidem adiectione contenta fæx vulgi (Parisiis præsertim) dicit etiam, *Tout fin cliquant neuf*. Neque verò debuit ille grammaticus Lotharingicum potius quàm Parisinum, abusum hunc esse dicere, *Ie ferons cela, I'irons la*, pro *Nous ferons cela, Nous irons la*. Quid dico, potius quàm Parisinum? imò verò potius quàm & Parisinum & Aurelianensem & Ambasiacensem & Blesensem (siue Blesianensem & Turonensem, quàm denique παντοδαπῶς Gallicum: si quidē ea quæ in aliqua Galliæ ciuitate à plebecula dicuntur, aut ab aliquo qui illi συνάμαρτάνει, Gallica esse sunt dicenda.

Sunt denique apud eum quæ ne intelligi quidem à plerisque Gallis queant, in puritate Gallicæ linguæ alioqui exercitatissimis tantum abest vt Gallica dici debeant. Tale est *Parenuers*, pag. 186: tale est *Chastoyer*, pag. 41: tale *Bure*, pag. 50. At si *Enuers* vel *Deuers*, si *Chastier*, si *Beurre* dixisset, Gallus is non esset, aut certè vernaculi sermonis oblitus, qui ea nō intelligeret.

AT verò ex tertio Gallicæ linguæ præceptore nihilne discet lector quod dediscere oporteat? Imo verò apud hunc quoque sunt nonnulla quæ quicunque sequi volet, is suum sibi sermonem Gallicum habebit. Inter illa autem non vltimum locum tenet hæc pronominis ad Imperatiuum modum adiectio,

Singul. { *Aime tu*, *Aime il*. } Plural. { *Aimons nous*, *Aimez vous*, *Aiment ils*. }

Eodem modo in coniugatione verbi anomali *Ie vay*, quod ex Latino Vado est factum,

Singul. { *Va tu,* / *Aille il.* } Plural. { *Allons nous,* / *Allez vous,* / *Aillent ils.* }

Denique & in aliis omnibus coniugationibus talem nobis dat Imperatiuum. vt in coniugatione verbi *Ie fay*, quod habet Infinitiuum *Faire*,

Singul. { *Fay tu,* / *Face il.* } Plural. { *Faisons nous,* / *Faites vous,* / *Facent ils.* }

Sed quis vnquã Gallus imperare volens, *Aime tu*, pro Ama, seu Amato, dixit? quis *Aime il*, pro Amet, dixit? Nihilo autẽ magis ex alicuius ore qui Gallicam tenere linguam dici posset, auditum vnquam fuit, *Aimons nous*, pro Amemus: *Aimez vous*, pro Amate, vel Amatote: *Ament ils*, pro Ament, vel Amanto. Sed qui Galli sunt, aut saltem loqui Gallicè norunt, dicunt,

Singul. { *Aime*, pro Ama, seu Amato. / *Qu'il aime*, pro Amet. }

Plural. { *Aimons nous*, pro Amemus. / *Aimez vous*, pro Amate, vel Amatote. / *Qu'ils ament*, pro Ament, vel Amãto. }

Eadémque in omnibus aliis verbis, cuiuscunque sint coniugationis, est ratio. At verò *Aime tu*, est potius Amásne? *Aime il*, est Amátne? Illæ autẽ plurales personæ duo significare possunt, alia planè quàm quod præceptor ille significare ait. Nam,

Aimons nous? interrogatio est, Amamúsne?
Aimez vous? est Amatísne?
Aiment ils? est Amántne?
Absque interrogatione autem,
Aimons nous, Amemus nos, id est nosipsos.
Aimez vous, Amate vos, seu vosipsos.
Sed in tertia persona plurali dicendum esset, *Qu'ils s'ayment*, pro Ament se, vel potiùs seipsos.

Idem magister suos discipulos docens, pag. 65. Sunt etiam (inquit) pauca quædam verba secundæ coniugationis quæ præteritum perfectũ secundum congeminant. Cuiusmodi sunt, Aperio, Offero, Suffero, Tego, Detego, & similia. Dicimus enim, *I'ay ouuri*, & *I'ay ouuert: I'ay offri*, & *I'ay offert: I'ay souffri*, & *I'ay souffert: I'ay couuri*, & *I'ay couuert: I'ay descouuri*, & *I'ay descouuert*, &c. Hæc ille: quæ tantum abest vt vera sint, vt contrà dicendũ fuerit, Dicimus *I'ay ouuert*, non, *I'ay ouuri*: & *I'ay offert*, non *I'ay offri*: itidémque in cæteris.

Hic tamen, ille est quem potissimum bene de se meritum arbitrantur Germani, quòd in sui libelli fronte eum Germanicæ iuuentuti dicauerit. Atqui Germani, non minùs quàm Itali, Hispani, Angli, Poloni, & alij quilibet, irridebuntur, si suum præceptorem hîc sequantur: magis etiam si imperare volentes, dicant, *Aime tu, Parle tu, Donne tu*, eodémque modo cætera.

De aliis erroribus quos vel sibi peculiares, vel cum duobus illis quorum à me facta modò mentio fuit (quos præcessit) communes habet,

taceo: vt tandem finem faciam.

Quid de fine faciendo loquor? ecce alium Gallicæ linguæ doctorem, qui nihilo minore cum cautione quàm superiores, legendus est. Docet enim & ipse pro Gallicis nonnulla quæ planè pseudogallica sunt, & quidem in ipso etiam limine, vel potius in ipsis fundamentis, quæ limen illi sunt, impingens. vnum enim è suis libellis inscribit, *Les fondamens de la langue Françoise*: quum tamen ne ipsum quidem veræ Galliæ vulgus vocem illam *Fondamens* pro *Fondemens* sit admissurum. Ac, ne quis hunc errorem non illi sed typographo imputandum existimet, sciat eandem vocem in duobus epistolæ locis repeti. Apud eundem legimus *Nassoy*, *Nasquisse*, *Nasqui*: item, *Ie courray*, *Ie courroy*: quis tamen Gallus *Nassoy* pro *Naissoy*, *Courray* & *Courroy* pro *Courray* & *Courrois* dicit? Eius hæc quoque sunt, *Combien que i'eu ouy*, *Combien que nous eumes ouy*: quum dici tantùm possit, *Combienque i'aye ouy*, *Combienque nous ayons ouy*: vel, *Combienque i'eusse ouy*, *Combienque nous eussions ouy*. Sed audi quæ non solùm cum puritate Gallicæ linguæ, sed cum ratione etiam & modo non cum sensu communi pugnant. *Pleust à Dieu que i'aye ouy*, *Dieu vueille que i'oiroy*. Talia sunt hæc, *Dieu vueille qu'il m'eust fallu*, *Pleust à Dieu qu'il me faudroit*. Item, *O qu'il m'ait falu*. (nam & hoc Optatiui est modi) Hæc inquam, cum ratione etiam & sensu communi pugnant: non aliter quàm si Latinè diceres, Vtinam ego audiuerim,

uerim, Vtinam ego auditurus sum. Eadémque & in altero exemplo est absurditas.

Ex his discant Germani, cæteríque à me nominati modò populi, nõ temere cuiuis Gallicæ linguæ præceptorem se profitenti fidem habere. Neque enim pluribus exemplis ad hoc confirmandum opus esse puto. Imo verò addam duo, *Cherf* & *Ancheſtres*, quæ apud vnum eorum (eum cuius secundo loco mentionem feci) leguntur, pro *Cerf* & *Ancestres*. Hæc enim restabat adiicere, vt non omitterem quæ ipsis etiam nostræ Galliæ pueris risum mouere possent.

CLAVDII MITALERII
EPISTOLA DOCTISS.
De vocabulis quæ Galli à commorantibus in Gallia Iudæis didicerunt, in vsúmque receperunt.

(nequid dissimulem) iampridem hac in re gratificatus essem, nisi eam adeo breuem esse vidissem, vt non modò libellum sed ne libellulum quidem efficere posset. Quum igitur seorsum edendam non putarem, meis De Gallica lingua Hypominesibus adiunxi: mihi certè gratulans quòd illa mea expostulatio De Latinitate falsò suspecta tantum elicere boni potuerit: cuius te propinquam esse causam fateor, sed ita vt cupiam te vicissim me remotam esse fateri: quum praestantissimus ille vir (ex cuius obitu magnam omnes literarum studiosi iacturam acceperunt) id scriptum, mei quidem libri, sed à te, non à me, sibi missi, ἀντίδωρον esse voluerit. ... Vale.

CLAVDIVS MITALERIVS,

REGIVS VIENNENSIS prouinciæ iuridicus, HIERONYMO CASTILIONEO, Lugdunensis curiæ præsidi, V. C. S. P. D.

LIBELLVM haud illepidum eruditissimi hominis, Henrici Stephani, DE LATINITATE FALSO SVSPECTA, dono mihi à te missum, illico quòd tibi ab eo nuncupatus erat, percucurri. Argumentum enim haudquaquam aspernandum prætendere videbatur, cùm ipso titulo, tum quòd πρόσωπον (vt ait Pindarus) adeo πλαυγὲς præ se ferret. Ac mirum sanè in modum me eius lectio delectauit, non ipsius merito solùm, sed etiam quòd pleraque mihi, non tum primùm cognoscere, sed iam olim cogitata recognoscere ac reminisci videbar: iudiciumque illud vetus meum confirmabat, quòd eadem penè tali viro placuisse animaduertebam. Itaq; gratias tibi eo nomine habeo vel maximas.

Sed cùm nihil in præsentia habeam quo munus illud tuum remetiar, placuit haud absimilis argumenti ex nostris feriarum libris commentatiunculam desecare, ad téque mittere. Ea complectetur quæ Galli olim à commorantibus Iudæis vocabula didicerunt, in vsumque recepe-

runt. Veri enim simile est olim multos iam in Galliis, Apostolorum certè temporibus, Iudæorum cœtus fuisse. Nam cum eorum discipulos in permultis eius gentis ciuitatibus Euangeliũ constet prædicasse, consentaneum est, Iudæorum quoque ecclesias in iisdem iam tum non incelebres extitisse, qui & antiqui fœderis libros penes se haberent, & ea desperatis Christi natalibus, ac morte prædicta olim, & sentiren & gentibus confirmarent, quæ illi de nato iam, occisóque, ac rediuiuo, nuntiarent. A quo nec illud abludit quod Lucas memoriæ in Actis Apostolorum prodidit, Iudæos ex omnibus quas operit cœlum gentibus ad festum Pentecostes Ierosolyma confluxisse: & quòd Paulum non in theatris vrbium, sed in Iudæorum synagogis docuisse, identidem legimus. Denique antiquis consignatum est literis, non ita multo pòst in Galliis Iudæos visos ac versatos fuisse. Quod minus mirum videbitur iis qui obseruauerint, eos in omnibus fere quas Christi Apostolorúmque legati perambularunt orbis nationibus ac vrbibus non infrequentes Iudæorũ synagogas offendisse. Nam de iis qui Romæ erãt, sic Pro Flacco M. Tull. *Scis* (inquit) *quanta sit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus:* Et paulo post, *Huic autem barbaræ superstitioni resistere, seueritatis: multitudinem Iudæorum, flagrantem nonnunquam in concionibus pro rep. contemnere, grauitatis summæ fuit.* Ex quo loco etiam illud eruemus, suffragij quoque ius Romæ Iudæos habuisse:

buisse. Innuit & Horatius, his verbis,

--nam multo plures sumus, ac veluti te,
Iudæi, cogemus in hanc descendere partem.

Sed de hac tota quæstione alibi est à nobis disputatum vberius. Priscis ergo temporibus æquo fere iure Iudæi cum gentibus vixerunt, tum maximè cùm vna cum eis Christianos insectabantur. Postea verò luculentioribus iam Christianorum rebus coæquati, mox etiam potioribus, plerisque in locis, in ordinem coacti, seruorum aut certè deditiorum loco hàberi cœperunt. Hinc illi à liberalibus institutis ad fœnus se & quæstum & mechanicas artes contulerunt. Sibi porro semper ij ad quemuis modum licere pecuniam alienigenis mutuare, imò verò ad id legibus suis impelli se atque inuitari crediderunt. Fœnus autem מרבית [*marbith*] & רבית [*ribbith*] dicunt, à multiplicandis videlicet nummis, mutuato à Chaldæis vocabulo. Vocant idem illi & רוח [*revach*] ab eo quòd fœnerantis animum gaudio explicet ac diffundat. Hinc nos RENEVVM vsurã appellare didicimus, Sic & Hispani *Renueuum*, itidémque *Renueuierum*, fœneratorem: quod pueris nobis magni conuitij loco habebatur. Cæterùm illi maiorum gentium Hebræi vsuram נשך [*neschech*] (hoc est morsum) vocabant. Vnde illud quidam Pauli esse ad Galatas existimant, εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε, *quòd si alterutrum mordetis.*

Est & aliud quod olim non solùm nostrum sed etiam Italicum sermonem inuasit ab eodem

fonte descēdens vocabulum. MESCHINVM enim Galli & Itali vocant quem Græci ταλαίπωρον dicunt: hoc est, infortunatum, & rerum omnium penuria laborantem. Hinc & in quibusdam populis Belgicis *Meschinam* appellant mediastinam, (quod & Stephanus tuus annotauit) & Galli *Meschin* dicunt, eodem sensu quo Itali: à Iudæis vtique edocti, quòd Hebræi מסכן [*mischen*] egenum hominem vocant ac pauperem. Denique Syrus interpres, epistolæ Iacobi secūdo capite, πτωχὸν, hoc est mendicum, מסכנא [*meschina*] transtulit.

Hebræi רקמה [*rikmah*] opus Phrygionicum appellant, Galli & Itali RECAMATVM. Ex quo auguror aut inuentum esse hoc apud Gallos & Italos Iudæorum recens, aut fuisse hoc olim potissimùm ab eis artificium factitatum. Cùm enim locupletari fundis aut non liceret eis, aut etiam non liberet, nec peregrinari ac procul mercimonia exercere, tutū vel ad suam sartam tectámque legem retinendam videretur, ad ea potissimùm se artificia contulerunt; in quibus & ingentem se, & minore cura ac periculo, ac præsentem præque oculis quæstum facere posse confiderent, iisque patrij sermonis vocabula indiderunt. Ex quibus & illud & alia præterea duo pannificij genera descenderunt.

Addam impunè (ni fallor) & tertium. nam שרג [*sarag*] Hebræi inuoluere & implicare dicunt, Græci plerunque συμπλέκεσθαι transferunt: & Chaldæus interpres מעטף שבכה [*mahasef sebachah*]

ſchachah] hoc eſt, opus implicatum ac reticulatum, עובד שריגא [*hobad ſerigha*] tranſtulit. Ab hoc reor Græcum quoq; σαργάνης vocabulum, quod ſportam ſignificat, deſcendiſſe. Atque hoc argumento ducor, quòd pro eodem Syrus interpres, 2. ad Corinth. 11. שרינתא [*ſerightha*] tranſtulit. Iudæi quoque amiculum quoddam lineum, candidum, & oblongum, quod feſto profeſto poſtridiéque expiationum induunt, סרגנס [*ſarghenes*] vocant. SARDISIVM autem noſtrates panni genus factitant ex ouium villis, quo ruſtici & pauperes velantur, haud abſimile ei quod veteres ex caprarum pilis texebant, & Cilicium appellabant, ad vſum nauticum accommodatum. Siquidem Hebræi בגדי השרד [*bighde haſchſcherad*] veſtes vocant ad miniſtrandum idoneas, hoc eſt (vt Græci vertunt) λειτουργικάς: quibus miniſtri ſacrorum vtebantur: quæ tametſi ſimilibus texebantur liciis ac ſacerdotales, tamen quòd hæ לכהן [*lechahen*] id eſt ad ſacerdotum. Illæ autem לשרת [*leſchareth*] hoc eſt, ad miniſtrorum vſum parabantur, inuentoribus placuit, pannum qui ruſticorum & id genus hominum vſui deſeruiret, *Sardiſium* appellari.

שתו [*ſchethi*] Hebræi, Chaldæi שתיא [*ſchithjah*] vocant quod Græci ςήμονα, Latini ſtamen appellant. Hinc SATINVM apud nos nomen reperit, ab artificio & elegantia texturæ: nam & Chaldæus interpres אם תארגי [*im targhi*] ſi texueris אם תשתין [*im taſchthin*] tranſtulit. aut quòd totum ſtamen videatur, ſubtegmine ita

obscuro vt cerni distinguíque nequeat.

Ante typographicam artem, librariorum munus in describendis libris versabatur: ad eam rem monachorum opera plurimùm vtebantur. Sed maiusculas literas & capita librorum Iudæi auro, minio & cyano illustrabant. Id quò mihi persuadeam CADELLI nomen efficit, quo nomine grandiusculæ literæ significantur: quia גדול [*ghadol*] apud Hebræos grande significat.

Hebræi מד [*mad*] quod nos *mandilium* & *mantelium* appellamus, Græci μανδύλιον: & ita nonnunquam Græci Hebræam vocem reddunt. amant enim Græci literam vsurpatis ex aliena lingua vocabulis (quod Hebræi vitant) interponere. De quo nos alibi fusius.

Funem Galli *chablum* appellant: id descendit à חבל [*chebel*] quod rudentem significat.

חרם [*cherem*] Hebræi agrum vocant consecratum, quem colere & exarare non licet: qualis Cirrhæus ille fuit, de quo memorat contra Ctesiphõtem AEschines. Græci olim ἔρημον videntur appellasse: ab hoc nos HERMVM dicimus agrum incultum & infructuosum.

מכר [*machar*] Hebræi dicunt quod Latini transpositis literis Mercari: id est vendere. Hinc nos MAQVERELLVM vocamus lenonem & perductorẽ: qua in re Iudæi olim præcipuam sedulámque Christianis operam nauauerunt.

ATIFELVM Galli numerant inter muliebria ornamenta. est autem integumentũ capitis auro ac segmentis ornatũ, quod Hebræi מעטפת [*maha-*

[*mahataphah*]appellant. Descendit autem à verbo טף[*hataph*]quod velare & operire significat.

BATELERIOS Galli vocant Ludios, histriones & θαυματοποιούς: hoc est miraculos: quòd id genus vitæ maximè otiosi homines, & quibus nihil est aliud quod agant, exercere consueuerint: quos sine cura homines dicimus. Hebræi בטלנים[*batelanim*]appellant.

גדגי דניות[*ghudghe daniyoth*] Iudæi recentiores vocant cerasa quæ Galli GVIGNIAS appellant, non illo quidem Hebræis cognito vocabulo, sed tamen in vsum vndeunde recepto: à quo fortè Celticum illud vocabulum manauit: nisi quis ab illo hoc descendisse prætulerit.

גוף[*ghuph*]est τῶν ἄπαξ εἰρημένων, & significat corpus. Cæterùm eo frequentius hoc Iudæi vsurpant, (vt cætera eiusmodi) quo magis significationem eius frequentando, animo inculcent & imprimant. Ab hoc GAVFVM Galli dicunt rem crassam, rudem & inconditam.

SOTTVM Galli fatuum ac stolidum hominem vocant: quod nonnulli à Græco ἄσωτος deducunt: quanto procliuius fuit id ab Hebræo שוט[*schot*]quod idem pollet, deriuare.

PERVCAM iidem capillos verticis vocãt, ducto à פרע[*perah*] aut (vt Chaldæi proferunt) פרוע[*peruah*]siue *Peruga*, vocabulo. Nam *Perika* ipsum potiùs collios significare videtur. Sed planum est nos CVTIVETVM dicere quod Hebræi כתף[*chetheph*]hoc est humerum, vocãt.

CHIFRARE, aut SIPHRARE, idem

apud nos pollet quod numerare. Quam vocem nemini dubium est à ספר [*saphar*] descendere, quod itidem numerare significat.

גנז [*ghanaz*] cuius tantùm plurale legimus גנזים [*ghenazim*] & in syntaxi גנזי [*ghinze*] Græcus interpres γαζοφυλάκιον & θησαυρὸς transtulit, significat autem opes magnas reconditas. Lucas de eunucho Candaces, ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς. Hinc Hebræi ספרים גנוזים [*sepharim ghenuzim*] libros apocryphos appellant, & Chaldæi virgines vocant גנוזין [*ghenuzin*] quæ à Græcis κατάκλειστοι appellantur. Curtius Persicam vocem esse scribit, quod vero propius est: cùm nonnisi in libris Babylonicæ captiuitatis occurrat. vt meritò mihi semper suspecta Aben Ezræ sententia visa sit, contendentis, Hamos septimo אחר גזי המלך [*achar ghizze hammelech*] pro גנזי [*ghinze*] scriptum esse, cùm sensum sic haud incommodum habeat, & illud גנוזין [*ghenuzin*] necdum ab Hebræis vsurpatum, ac ne cognitum quidem (opinor) fuerit. Ab hoc Magazinos vocant interiores mercatorum apothecas, in quibus merces condunt pretiosiores.

יער [*iahar*] syluam Hebræi indigitant: Galli porrò ab hoc IARDINVM, viridarium & hortum appellant.

GOBELLVM & GOBELETVM dicunt Galli poculum: ídque non abludit ad voce גביע [*ghabiah*] si vtrobique G sono eodem proferas: quæ vox idem quòq; apud Hebræos significat.

Lupos GAROVBOS Galli vocant soliua-

gos,

gos, qui etiam homines inuadunt ac deuorant: iidem à Luciano μόνιοι, ab Aristotele μονοπεῖραι appellantur: quod vitium tum maximè eis vsu venire scribit, cùm eorum iam præsenio vires ac dentes laborare eis ac languere cœperunt. quo fit vt pueros & mulieres vtplurimum adoriantur. Vulgus imperitum ex hominibus fieri arbitratur. Hebræi ערבות [*haraboth*] (à quo reor Gallicam vocem esse ortam) appellant. hoc est noctiuagos: ita tamen vt meminerimus primæ huius vocabuli syllabæ sonum proximè ad GA accedere quasi Garaboth legas. Virgilius,

Non lupus insidias explorat ouilia circum
Nec gregibus nocturnus obambulat.

Proinde Chaldæus interpres דיבי דרמשא [*debe deramscha*] (hoc est lupos vesperæ, id est, vespertinos seu nocturnos) transtulit: quanuis non desint qui solitarios etiam interpretentur. Nam ערב [*harab*] vox est apud Hebræos πολυσημοτάτη.

GVERRAM dicimus quod Itali Garam. Ariostus, Cant. 1, *nata pochi dinanzi era vna gara.* ortum porro videtur à גרה [*gharah*] quod, bellum, rixas & pugnas excitare, significat.

GOIRIAM à Iudæis nostrates meretricem & mœcham appellare didicerunt. Chaldæi & Syri גירתא [*ghaiartha*] Syrus interpres cap. 7. ad Rom. הות לה גירתא [*hauath lah ghaiartha*] μοιχαλὶς χρηματίσει. Quod necui mirum videatur, sciendum est Iudæos hodie Chaldæas, (quas illi Targum vocant) interpretationes tanti facere, quanti olim & Hebræi & Christiani eam quæ

Septuaginta appellatur: & ideo multas & in cõmentariis & in sermone quotidiano non solùm Chaldæas sed etiam barbaras voces vsurpare, & pro Hebræis inculcare: quod Salomo Iarkius identidem vsque ad fastidium factitat.

Λεπτὸν, species nummi est minutioris, quod & nomen ipsum indicat. Id Syrus Euangeliorum interpres מנין [*menin*] & שמונא [*schamavna*] hoc est bessem, transtulit. Chrysostomus ὀβολὸν interpretatur. Meminit eius & interpres Aristophanis Vespis. Ab hoc abludere non videtur tenuioris monetæ genus quod Iudæi פרוטה [*perutah*] quasi granum appellant, & quod alio nomine פשוט [*peschut*] vocant: quod simplex & indiuiduum significat. Hinc fortè PATA nomen literis factum est transpositis, genus monetæ minutioris, quam sextantem Latinè dicere possumus.

Pauca autem hæc tibi ex multis quæ à Iudæis Galli mutuati in vsum receperunt, & coegi raptim, & ἀντιδώρου vice ad te mittenda putaui. Omitto autem deinduſtria & alia permulta eiusdem generis, & quæ itidem Itali Hispaníque ab iisdem & didicerũt olim, & in sermone quotidiano vsurparunt.

Cæterùm nec illud dissimulabo (de quo rogatus olim ad Iacobum Cuiacium V.C. scripsi) non quidem improbari à me Stephani tui de vocabulo ALMANACH coniecturam (nec enim Germanici sum gnarus sermonis) sed illud

scio

ſcio ante mille ducentos ferè annos ἀλμενιχιακῶν vocabulum in eo ferè ſenſu à Porphyrio in quadam ad Annebonem epiſtola vſurpatum fuiſſe: cuius epiſtolæ pars, in qua hoc poſitum eſt, ab Euſebio in tertio Εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς libro prolata eſt: quo tempore notum eſt Germanos omnis politioris diſciplinæ expertes fuiſſe.

Sed & illud haud abſurdè dici poteſt, ACHILLEM cauſæ eo ſenſu à pragmaticis vocari, quo ſenſu Zenonis elenchus, quem in libris de motu extricat Ariſtoteles, Achilles eſt appellatus. Eiuſdem meminit & in Parmenide Diogenes.

Porro de SOLDVRIIS ſententiã noſtram alibi expoſuimus, docuimúſque, Soldurios idem quod deuotos, aut (vt Nicolaus Damaſcenus, qui Cæſaris ſuccreuit ætati, exponit, σολδούρους appellans, vt quidem apud Athenæum ſcriptum eſt) εὐχωλιμαίους ſignificare: nequis de incepsà ſolido pergat huius nominis originem repetere. Vale. Viennæ Allobrogum. V. Non. Iulias.

224

R. Stephanus lectori S. D.

VT iis exterarum quoque nationũ hominibus qui perdiſcendæ linguæ noſtræ deſiderio tenentur, inſeruire poſſemus, quæ de grãmatica Gallica erant à nobis collecta, & noſtro ſermone ſcripta, in Latinum vertẽda curauimus. Quæ ſi diligẽter euolucrint, ſimul etiam cum noſtratibus verſati, eos loquentes audierint, linguæ noſtræ cognitionem illis non difficilem polliceri audeo. Cum noſtratibus verſati, inquam: tum vt accẽtibus, quibus in poſtremis vocum ſyllabis frequẽter vtimur, tũ verò vt literis quas ſcribimus quidem, ſed non ſonamus, aſſuefiant. Eas enim literas qui contra receptam à multis iam annis orthographiam, vt ſuperuacaneas, eximendas eſſe cõtendunt, ne exteris in pronuntiatione negotium faceſſant: dum ex-

13

terorum commoditati hac in re consulere conantur, quantum suæ linguæ incommodent, & quantam iniuriam ei afferant, vellem perspectũ exploratúmque haberent. Sed nulla ratione melius hoc posse perspici videtur, quã earum (tãtum abest vt sint superuacaneæ) vsum ostendendo perneceſſariũ. Quod in hoc libello ita factũ est, meo quidem iudicio, vt non nimium contentiosis hac in parte propemodũ satisfacturus videatur. Vale.

GRAMMATICA GALLICA.

GAllica noſtra lingua, vt & Latina, duas & viginti habet literas, quas etiam vt illa, in duas partes diuidit, Vocales videlicet & Conſonantes.

Vocales, ſunt literæ quæ ſolæ prolatæ, edunt vocem & ſonum: ſúntque numero quinque, a e i vel y o u.

Conſonantes, ſunt literæ quæ ſolæ ſine vocalibus pronuntiari nõ poſſunt, cum vocalibus verò, reddunt ſonũ: ſunt autem hæ, b ç d f g h l m n p q r ſ t x z.

Particulares literarũ formas habemus multũ ad Italicas accedentes, niſi quòd non ita propendent, ſed rectæ ſcribuntur, velut Romanæ, paulo tamen craſſiores: quarũ corpus breue eſt, partes verò inferiores, & capita breuiora ſunt. Exempli gratia,

Literæ Italicæ.

a b c d e f g h i l m n o p q r ſ t u x y z.

Romanæ.

a b c d e f g h i l m n o p q r ſ t u x y z.

Gallicæ.

a ß c ϑ e f g ħ i l m n o p q r ſ t u χ y ʒ.

In excudendis libris vtplurimum hodie vtimur literis Romanis, aliquando Italicis.

De PRONVNTIATIONE literarum.

Pronũtiatio literarum noſtrarum parum differt à pronuntiatione Latinarum, præterquam in ſubſequentibus.

c Vtplurimum pronuntiatur vt Latine. Aliquando ante a, o, u, pronũtiatur ſono literæ ſ, *Commenca, Lecon, Facon, Appercoy, Receut*, tanquam ſcriberes, *Cõmenſa, Leſon, Faſon, Apperſoy, Reſeut*. Sæpiſſime ad molliendam prolationẽ (ne pronũtietur velut in Cato, Condo, Sicut) interiicitur *e*,

Commencea, Commençeons, Receut.

E In principio dictionū aliquando pronuntiatur celeriter, ac breuiter, & ceu dimidiato ſono: velut *Pelér*, vbi *Pe* celerius, & *lér* longius pronuntiatur. Aliquando longiore, velut *Réciter, Réueler*: & vtplurimū in dictionibus quæ duas habent conſonātes poſt *e*, velut *Celle, Eſleuer, Eſbatre*. Similiter in medio aliquādo eſt celerius, velut *Amener, Appeler*: aliquādo lōgius profertur, velut *Amére, Entiére*: & vtplurimū quando duæ cōſonantes ſequūtur *e*, velut *Cōmettre, Entendre*. Quando verò eſt in fine, etiā variè pronuntiatur. aliquādo ſono longiore & producto, velut *Aimé*, aperto ore vt pronūtietur productiore ſono: & tū ſæpe notamus accētu Latinorū acuto, præcipue vbi dubitari poſſet de ſignificatione, veluti *Aimé, Poureté, Grauité*. Interdum pronuntiatur medio ſono, claudendo os: tum præcedens ſyllaba longiore ſono profertur, velut *Sapience, Iuſtice, Chambre*. Talis eſt eius prolatio quando geminatur in participiis fœmininis, veluti *Aimée, Enſeignée, Creée, Recreée*. In participiis verò maſculinis, vltimum *e* pronuntiatur accentu acuto, veluti *Creé*.

G Præpoſitum literis *e* vel *i* in eadem ſyllaba, pronūtiatur vt *j*, velut *Gemir, Gelee, Gibecicre, Giſte*. Nonnunquam inter *g* & *o* ponitur *e*. veluti pro *Bourgois*, ſcribimus *Bourgeois*: pro *Bourgon*, *Bourgeon*: ne pronuntiet *g* cum *o*, vt pronuntiatur in *Goblet*, *Dragon*. Quandoque in fine dictionum ſcribitur, neque pronuntiatur, veluti *Teſmoing, Soing, Coing, Beſoing*: vnde *Teſmoingner, Soingner, Coingner, Beſoingner*. licet frequentius ſcribatur *Teſmoigner, Soigner, Coigner, Beſoigner*. Maiores noſtri ſcripſerunt *Vng* cum *g* in fine, ne ſcribēdo *Vn*, videretur eſſe nota numeri *Vii*. verùm illud multis non placet. An ob aliam cauſam in hoc vocabulo ſcripſerint, neſcio: tantū hoc dicā, ſi aliis locis admittunt iſti, vbi minus eſt cauſæ, admittāt & in hac dictione. quod ſi nō placet, nolo cum illis cōtendere, ſcribant *un*, ego verò *ung*. habēt qui illis faueant: ego maioribus noſtris ſubſcribo, doctioribus: tametſi ſciam non vbique apud illos

cum g ſcribi.

H Aliquando non pronuntiatur, tantùm in hoc vſui eſt, vt oſtendat Gallicam vocem à Latinis deriuari: veluti *Heritier*, ab Hæres: *Heure*, ab Hora. Nonnunquam ſcribitur, quanuis Latinum vocabulum vnde vox Gallica deducitur, nullum *h* habeat: tunc pronuntiatur vt à Latinis, veluti *Hault*, *Haultain*, ab Altus: *Heurler*, ab Vlulare: *Hardi*, ab Audax. H

I Aliquãdo eſt conſonans: veluti in his vocabulis, *Iaſper*, *Ietter*, *Iouer*, *Iurer*. I

L Quoties gemina ſcribitur, pronuntiatur fortius, & durius: veluti *Allicher*, *Icelle*, *Chandelle*, *Pucelle*. Si *i* præcedat geminum *ll*, tum duplex illud *ll* mollius pronuntiatur, & fere tanquã eſſet vnicũ *l*, veluti *Bailler*, *Piller*. Aliquãdo *l* ſcribitur, ſed nõ pronũtiatur. veluti in *Mauluais* à Malus, *Mieulx* à Melius, *Fault*, *Falloir*, *Vault*, Valet, *Maulx*, Mala, *Haule*, Altum. Quidam tamen contendunt, in his dictionibus & ſimilibus à Latinis deductis, *l* non debere ſcribi, propterea quod (vt aiunt, *l* conuerſum eſt in *u*: veluti in *Maupiteux*, quaſi dicas male miſericors, *Mauduict*, *Maudiſné*, *Maudolé*, *Mautoinct*, *Maugré*, *Maumarice*, *Aube eſpine*, *Aube du iour*, & ſimilibus. quãuis maior pars ſcribat *Mal piteux*, *Mal diſné*, *Mal ioinct*, &c. Alii volunt *l* cũ *u* relinqui, quòd in eà ſint opinione literã *a* aut alias litteras præcedentes *l*, verti in diphthongũ *au*, vel *eu*: *l* autem relinqui, propter vocem Latinam vnde facta eſt Gallica: veluti à Mala *Maulx*, ab Altus *Hault*. Vtvt ſit, veteres ſcriptores docti retinuerũt *l*, & ſcripſerũt vt plures alias conſonãtes. Præterea plura vocabula habemus in quibus vocali præcedente mutata in diphthõgum, neceſſariò ſeruatur *l*. quod ſatis oſtendit relinquendũ eſſe in aliis, veluti Pollex, *Pouſce*. Vltra, *Oultre*. Coluber, *Couleuure*. Volo, *ie Vueil*. Culpa, *Coulpe*. Solus, *Seul*. Dolor, *Douleur*, *ou Doleur*. Oculus, *Oeil*. Pulſus, *le poulx*. Multus, *Moult*. Culter, *Coultre*. Feniculum, *Fenouil*. Geniculũ, *Genouil*. Interdum ſuperuacaneũ eſt *l*, & tantum ſcribitur ad iuuandam prolationẽ, ne literæ præcedentis ſyllabæ iun- L

gantur literis subsequentis. Exempli gratia: quidam scribunt *Peult*, *Moult*, & plures alias, ne dicas *Pe ut*, duabus syllabis, *Mo-ut*. Præsertim autem istud *l* superfluum ponitur in vocibus desinentibus in *aulx*, vel *eulx*, veluti *Maulx*, *Enuieulx*, *Ennuyculx*. quas quidam scribunt per *s* solum, *Enuieus*, contra receptam antiquorum scribendi consuetudinem. De hoc dictum est in diuisionibus Nominis: vbi de numero nominis fit mentio.

R In principio dictionis pronuntiatur vt duplex. veluti *Rire*, *Rare*. in fine autem non pronuntiatur, quando dictio sequens incipit à consonante: veluti, *Il ueult aller dehors* tanquam scriberes, *il ueult alle dehors*.

S Ante *t* & quasdam alias consonantes, in medio dictionis vt plurimum non pronuntiatur, veluti *Maistre*, *Escuelle*. tanquã scriberes *Maitre*, *Ecuelle*, ita tamen vt pronunties *ai* & *e* aperto ore. Aliquando pronuntiatur vt Latine, *Honeste*, Honestus: *Domestique*, Domesticus: *Scholastique*, Scholasticus: *Euangeliste*, Euangelista: *Chaste*, Castus: *Reste*, Restans. Sæpissime scribitur ad prolongandum sonum syllabæ præcedentis, nec tamen pronuntiatur, veluti *Descouurir*, *Esconduire*, *Esleuer*, *Mesme*, *Luymesme*, *Mesler*, *Vesce*, *Aimast*, *Asne*, *Masle*. Vsui est aliquando ad notandam differentiam inter tempus præteritum vel præsens, & futurũ, veluti *Il peult*, præsens, & breui prolatione: & *Pourueu qu'il peust a l'aduenir*, sono longiore: *Il ostat*, & *Il ostast*. Præterea inter quædam verba: veluti *Pleut*, Pluit: *& Pleust a Dieu*, à Placeo, Vtinam placeret Deo. Nonnunquã etiam, idque sæpius, retinetur Gallice, propter vocabulũ Latinũ, veluti *Souspecon*, Suspicio: *Souspirer*, Suspirare: *Soustenir*, Sustineo: tametsi nõ pronuntietur: acsi diceres *Soupecon*, *Soupirer*, *Soutenir*. Quando autẽ est in fine dictionis, si sequens dictio incipiat à consonante, non pronuntiatur, veluti quũ dico, *Les femmes sont bonnes*, acsi scriberes, *Le femme sont bonnes*. Si sequens dictio à vocali incipiat, tum pronuntiatur, finiens dictionem præcedentem: veluti *Les enfans*, *Les amoureux*. Similiter pronuntiatur vbicunque subsistimus.

Quãdo itẽ vocalis vltimæ ſyllabæ dictionis terminatur in *s*, pronũtiatur longo ſono, ore aperto: veluti *Procés, Més, Tés, Sés, Apr'és, Exprés.* Neque omittendum, *ſ* inter duas vocales pronuntiari lenius, & mollius, tanquam per *z*, *Raſer, Maiſon*, tanquam ſcriberes *Razer, Maizon.*

T In dictionibus terminatis in *tion* pronũtiatur per *c* vel *ſſ*, veluti *Dictiõn, Exhortation, Pronontiation*, vbi *t* pronũtiatur per *c*, acſi ſcriberemus *Diccion*, vel *Dicſion, Exhortaciõ, Pronnonciacion.* Nonnunquam geminatur *t* ad roborandam prolationem, & prolongandam præcedentem ſyllabam: veluti *Alumette, Brunette*. Quando autem eſt in fine vocabuli, & ſequens dictio incipit à conſonãte, non pronuntiatur: veluti, *Ils ſont bons*, tanquam ſcriberes *Ils ſon bons.* Sed neque in coniunctione *et*, pronuntiatur, veluti *A toy & à luy.* tanquam ſcriberes & pronuntiares ore aperto, *e a luy*, non mota lingua.

V Aliquando nobis eſt cõſonans, maxime in initiis dictionum: veluti in his vocabulis, *Va, Vain, Venir, Viſiter, Volupté, Vuider, Enuironner, Enuahir, Enueloper.*

X Pronuntiatur vt Latinè, præterquam in fine dictionis: tunc enim pronuntiatur vt *s*. Imò quidam ſcribũt *s* eo loco in quo veteres ſcribebant *x*, in certis quibuſdam dictionibus: veluti *Enuieux, Voix, Noix, Canaux.* quod feciſſe videntur ne diceretur *Enuie-us, Vo-is, No-is, Cana-us.* Quod quidem *x*, ad formandum fœmininum eius dictionis in qua ponitur (ſi formari poteſt aliquod) vertitur in *e*, veluti *Enuieux, Enuieuſe: Amoureux, Amoureuſe.*

Y Pronuntiatur vt *i*. Maiores noſtri vſi ſunt hac litera non ſolùm in dictionibus Gallicis deſcendentibus à Græcis, vt & Latini, *Hydropique, Hypocriſie:* ſed etiã quando *i* principium erat dictionis Gallicæ, ſolúmque ſine conſonante conſtituebat ſyllabam, veluti *Yuroye, Yuer, Yure:* propterea quòd *y* formam talem habeat quæ iungi non poſſit literæ ſequenti. Quãdo præterea in media dictione occurrebat *i* inter vocales: veluti *Enuoyer, Ie uoyoye*, nẽ coniungeretur *i* ſyllabæ præcedentis cum ſyllaba ſubſe-

quente,& legeretur,*Enuo-ier*,*Ie uo-io-ie*. In fine item dictionum terminatarum in diphthongum, scripserunt *y*, veluti *Moy*, *Toy*, *Soy*, *Foy*, *Roy*, *Iray*, *Appuy*, *Ennuy*.

Z Hac litera vtuntur Galli in dictionibus formatis à Græca voce, pronuntiántque lingua adhærente dentibus inferioribus, ore paululum aperto, leni sono: veluti *Zele*,*Zelateur*. Vsum etiã habet in fine quarũdã dictionum loco *s*, vt ostendatur pronuntiandas esse aperto ore, lingua adhærente dentibus inferioribus: veluti in huiusmodi vocabulis, *Aimez*, *Enuoyez*, participiis temporis præteriti: *Oyez*, *Voyez*, Imperatiui modi.

DE APOSTROPHO.

A, E, & I, sæpissime non scribuntur, maximè E, in fine quarundam dictionum vnius syllabæ, aliquando pluriũ: quoties iungũtur alteri dictioni incipienti ab eadem aut alia vocali: tunc (iuxta Græcorum consuetudinem) loco literæ detractæ præcedenti vocabulo, ponitur semicirculus ad summum, siue caput literæ, factus in hunc modum ' qui appellatur Græco vocabulo Apostrophos, quod significat auersionem. Id fit autem vt ostendatur ablatam siue detractam esse literam quæ legi non debet, sed ita duo vocabula in vnum iungi vt amborum vnica sit pronuntiatio. Quod perspicitur præsertim in his particulis *de*, *ie*, *le*, *me*, *que*, *se*, *te*, *ma*, *ta*, *sa*, *ne*. Exempli gratia, *D'autant plus*, *I'aime*, *L'enuieux*, *Il cerche de m'occir*, *Ils n'ont rien*, *Encores qu'il face bien*, *Il s'en ua*, *Il t'appellera*, *M'amie*, *T'amie*, *S'amie*, *Ie n'iray point*. Pro, *De autant*, *Ie aime*, *Le enuieux*, *De me occir*, *Ne ont rien*, *Que il*, *Il se en ua*, *Il te appellera*, *Ma amie*, *Ta amie*, *Sa amie*, *Ie ne y iray point*. quasi quis dicat corrupto sermone Latino, Ego non illic ibo. Nonnunquã auferũtur tres literæ, vt quum quis interrogatus, *Iras tu?* respondet, *I'iray*, pro, *Ie y iray*. acsi dicas corruptè, ego ibi ibo.

DE SYLLABIS.

Ex supradictis literis componuntur duæ, tres, aut plures literæ simul sub vno accentu, Græcè vocantur syllabæ, id est, comprehensiones, seu complexiones: veluti

ai-mer, ſyllabæ duæ: *mi-ſe-ri-cor-de*, quinque ſyllabæ: *Chreſtien*, duæ ſyllabæ. Notandum autem, omnes ſyllabas ad minimum habere vocalem vnam iunctam vni aut pluribus conſonantibus, ſiue præcedant vocalem, ſiue ſequantur: veluti in hoc vocabulo miſericorde, *mi-ſe-ri-cor-de*. Aliquando ſyllaba vocali vna tantum conſtat, ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine fuerit: veluti, *Amour*, *Edifier*, *Image*, *Oreille*, *Vne*, *Deſobeir*, *Oublié*, *Il oublia*.

DE DIPHTHONGIS.

Inter ſyllabas quædam ſunt duarum vocalium, ita coniunctarum in vnam ſyllabam, vt pronuntiando ſubaudiatur ſonus vtriuſque: quas appellant Diphthongos, verbo Græco ſignificante ſonum geminũ. Sunt autem ſeptem, *ai* vel *ay*, *ei*, *oi* vel *oy*, *ui*, *au*, *eu*, *ou*.

ai *Faire*, *Aider*. Non eſt pronuntiandum *Fa-i-re* tribus ſyllabis, ſed duabus, *Fai-re*.

ay Eſt eadem diphthongus: verùm ſic ſcribitur in fine dictionum, *Feray*, *Fay*.

ei *Peine*, duæ ſyllabæ, veluti *Peindre*, *Ceindre*, *Cueillir*, *Orgueil*, *Oeil*.

oi *Oiſon*, *Moindre*, duæ ſyllabæ: *Foi*s, vnica ſyllaba, veluti *Mois* & *Moins*.

oy Eſt eadem diphthongus, verùm ſic ſcribitur in fine dictionũ, *Foy*, *Loy*, *Moy*, *Enuoy*. Aliquãdo & in medio, veluti *Moyen*, *Enuoyer*, quãdo ſyllaba ſequẽs incipit à vocali.

ui *Deſtruire*, trium ſyllabarũ, *De-ſtrui-re*: *Nuire*, duarũ ſyllabarum, *Nui-re*; *Nuict*, vnius ſyllabæ, *Fuite*, diſſyllabum.

au *Audience*, quatuor ſyllabarum, *Aulcun*, *Aultre*, duarũ: *Hault*, vnius ſyllabæ.

eu *Seur*, *Meur*, *Peu*, vnius ſyllabæ. *Meurement*, trium ſyllabarum. *Eſmeu*, *Heureux*, duarum.

ou *Outil*, *Ouuert*, *Ouurir*, *Vouer*, duæ ſyllabæ. *Oublier*, *Allouer*, tres ſyllabæ.

Eſt itẽ ſyllaba *ie*, quæ eſt veluti diphthongus, verùm alia ratione: nam ſubauditur ſonus *i* & *e* ſeparatorum, tametſi cõſtituant vnicam ſyllabam, veluti *Miel*, *Ciel*, *Fiel*,

Pied, Fier, Bien, Mien, Tien, Sien, Chien, Rien, Chreſtien.

DE TRIPHTHONGIS.

Frequenter accidit vt tres vocales ſimul iungantur in vnam ſyllabam, quarum trium ſubauditur proprius ſonus vtcunque diſtinctus.

eau *Beau, Seau, Veau,* vnius ſyllabæ: *Fourneau,* duarum.
iei *Vieilleſſe, Vieillard.*
ieu *Mieulx, Yeulx, Vieulx, Dieu, Lieu,* vnius ſyllabæ.
oei *Oeil, Oeillades.*
oeu *Oeuure,* duarum ſyllabarum, *Sœur, Vœu,* vel *Vœux.*
oui *Mouiller, Pouilleux, Souillé.*
uei *Cueillir, Orgueil.*
ueu *Gueule.*

DE DICTIONIBVS.

Ex his ſyllabis fiunt dictiones: quarum aliæ duas habent ſyllabas, aliæ tres, aliæ quatuor, aut plures. Sunt nonnullæ quæ vnica conſtant ſyllaba: veluti *blé, né.* Sunt item quæ ſola vocali fiunt: veluti *a,* in hac oratione, *a Dieu vous di. Il y eſt allé. O le dommage.*

DE ORATIONE.

Poſtremo ex dictionibus variis ſimul coniunctis fit contextus quidam (quem vocamus orationem) ita compactus vt illo vtamur ad dicendum & ſcribendum quicquid in animo concepimus.

Sunt autem nouem genera dictionum, quæ appellantur partes orationis, nempe Nomen, Articulus, Pronomen, Verbum, Participium, Aduerbiũ, Coniunctio, Præpoſitio, & Interiectio.

DE NOMINE.

NOmina ſunt dictiones quæ ſignificãt corpus, ſiue quicquid poteſt tangi & videri: veluti *Liure, Arbre:* aliquando etiam aliquid quod nec tangi, nec videri poteſt, veluti *Vertu, Eſprit, Dieu.*

DIVISIO NOMINVM.

Duo ſunt genera Nominum: alia dicuntur Subſtanti-

ua: quorum significatio intelligitur sine alterius dictionis adiūctione: veluti *Pain, Terre*: efficiúntque sensum perfectum cum adiectiuo: veluti *Pain blanc, Terre noire.* Alia dicuntur Adiectiua, quæ iungūtur substantiuis ad declarandam illorum qualitatē aut quantitatē. Non ponuntur autē sine substātiuis: alioqui ignoraretur ad quid positum esset ipsum adiectiuum. velutisi dicas *Blanc*, nihil potes intelligere, nisi adiungas substantiuum aliquod, vt si dicas, *Pain blanc, Terre noire, Terre grasse, Bon homme, Homme iuste, Mauuaise personne, Grād personnage, Grād larron, Vin excellent, Homme prudent, Riche, Poure*, & sic de aliis.

Diuisio Substantiuorum.

Substantiua diuiduntur in Nomina propria & cōmunia, quæ vocantur Appellatiua.

Nomina propria sunt illa quæ vni soli conueniunt, veluti nomen cuiusque hominis, aut vrbis, aut pagi: vt *Pierre, Iehan, Ieruſalem, Bethlehem.*

Præter nomen proprium est aliud quod indicat progeniem & familiā vnde geniti sumus: veluti *Iehan Riant, Robert Estienne, Pierre Pignon*: vnde dicūtur, *les Rians, les Estiennes, les Pignons*, pro iis qui genus ducunt ab illis qui cognominantur *Rians, Estiennes, Pignons.*

Communia verò siue appellatiua sunt ea quæ pluribus conueniunt: veluti *Arbre, Homme, Herbe, Pierre.*

Ex his communibus & appellatiuis quædam significāt corpus: veluti *Homme, Cheual.* Alia significant res incorporeas: veluti *Vertu, Raiſon, Dieu, Ange.*

Alia significant nationem: veluti *Francois, Italien, Alemant, Champenois.* Alia significant vrbem, aut pagum vbi natus fuit aliquis: veluti *Romain, Pariſien, Lionnois.*

Alia seruiunt numeris tantum: veluti *Vng, Deux, Trois, Quatre, Cinq, Six, &c.*

Ex istis quædam sunt quæ denotant ordinem in numerādo, veluti *Premier, Second*, (vel *Deuxieme*) *Troiſieme, Quatrieme, Cinquieme, Sixieme, Septieme, Huitieme, Neufieme, Dixieme, Onzieme, Douzieme*, &c. *Vingtieme, Vingt & vngieme, Trentieme.*

Numeris autem terminatis in *e* aufertur istud *e*, quoties illis adiungitur syllaba *ieme*. Exempli gratia, à *Quatre & Onze*, scribimus *Quatrieme*, *Onzieme*, & non *Quatreieme*, *Onzeieme*: & ita de similibus.

Alia sunt quæ significant præfecturam super numerũ aliquem populi: veluti *Quartenier*, *Dizenier*, *Cinquantenier*, *Cẽtenier*, qui præest familiis quatuor regionum, aut decẽ: aut quinquaginta hominibus, vel centum.

Quædam appellantur collectiua, quòd comprehendant certum numerum: veluti *Sizain*, *Huictain*, *Douzain*, *Trezain*, comprehendens *Six*, *Huit*, *Douze*, *Treze*.

ACCIDENTIA NOMINVM.

Nomini accidũt septem, Species, Comparatio, Genus, Numerus, Figura, Casus & Declinatio. Quæ duo postrema quidam non addunt, propter rationes quæ infrà dicentur suo loco.

Species.

Duæ sunt species communes tam substantiuis quàm adiectiuis. Prima, quæ dicitur Primitiua: veluti *Rome*, *Paris*, *Bon*, *Montaigne*. Altera, Deriuatiua, veluti *Romain*, *Parisien*, *Bonté*, *Montaignart*.

Comparatio.

Quum volumus ostendere aliquem esse superiorem aut inferiorem altero in re aliqua, vtimur vocabulo *Plus*, vel *Moins*, cum nomine adiectiuo. veluti pro eo quod Latini dicunt, Petrus est sapientior Iohanne, dicimus, *Pierre est plus sage que Iehan*: Indoctior est Iohanne, *Il est moins scauant que Iehan*.

Quædam comparatiua Latina retinemus propè integra: veluti Melior, *Meilleur*: Peior, *Pire*: Minor, *Moindre*.

Quãdo volumus significare hominem vsqueadeo excellentem in re aliqua vt non sit opus comparare illum aliis, adiũgimus hoc vocabulum *tres* (quod significat tria) nomini adiectiuo positiuo: ac dicimus, *Tresdocte*, *Tresfort*, *Tresbon*: hoc est, doctissimus, fortissimus, optimus.

De diminutiuis.

Quædam Nomina appellantur Diminutiua, quæ demonstrant diminutionem sui primitiui, sine comparatione cum aliis: veluti à Grand, dicimus *Grandelet*, hoc est parum aut aliquantulum magnus: Verd, *Verdelet*: Blanc, *Blanchet*: Homme, *Hommet*: Femme, *Femmelette*: Arbre, *Arbrisseau*: Anneau, *Annelet*: Escu, *Escusson*. A nominibus propriis virorum & mulierum nonnunquam fiunt diminutiua: veluti à Pierre, *Pierrot*, *Perrot*: Iaques, *Iaquet*: Magdalene, *Magdelon*: Marguerite, *Margot*. Sunt quæ habēt alias terminationes, veluti à Coq dicimus *Cochet*: Sac, *Sachet*: Doulx, *Doulcet*: à Iacot, *Iacotin*: à Iambe, *Iambon*: Coche, *Cochon*: Chausse, *Chausson*.

Genus nominum.

Ex supradictis nominibus, cuiuscunque modi fuerint, quædam pertinent ad viros, & propterea dicuntur esse masculini generis: veluti *Seigneur*, *Docteur*, *Bō*, *Mauuais*. Alia appellantur fœminina, quòd pertineant ad fœminas & femellas: veluti *Regente*, *Roine*, *Bonne*, *Mauuaise*. Quod ad neutrum genus attinet, quod neque masculinum, neque fœmininum est, nos illo caremus, vt & Hebræi: comprehenditur autem sub masculino.

Habemus & quædā nomina quæ sub eadem terminatione sunt masculina & fœminina: veluti *Hōme chaste*, *Femme chaste*: *Vne chose possible*, *& Vng cas possible*: *Vng homme aueugle*, *Vne femme aueugle*. Fœmininum sæpius fit addendo *e* ad masculinum: veluti *Constant*, *Constante*: *Heureux*, *Heureuse*: *Marchand*, *Marchande*. Nonnunquam quum addimus istud *e*, consonans præcedens duplicatur: veluti *Bon*, *Bonne*: *Roux*, *Rousse*: *Gentil*, *Gentille*: *Bel*, *Belle*: *Net*, *Nette*. Fit etiā fœmininum addendo terminationem istam *sse*, vel *esse* ad masculinum: veluti *Maistre*, *Maistresse*: *Asne*, *Asnesse*: *Larron*, *Larronnesse*.

Numerus.

Nomina duos habent numeros, Singularē & Pluralē. Ad vocabula quæ terminātur in *e* in singulari, quod pro-

lia quo-
fiant.

nuntiatur aperto parũ ore, addendum eſt *s* vt facias pluralem: veluti *Pierre, Pierres: Hõme, Hõmes: Table, Tables: Arbre, Arbres.* Illis verò quorum *e* finale pronuntiatur aperto plene ore in ſingulari, omnibus ferè patrum noſtrorum temporibus adiectũ fuit *x* loco *s* ad cõſtituendum plurale: veluti *Letré, Letrex: Aimé, Aimex.* At illis quæ in ſingulari terminantur in conſonãtem, additur *s* vt plurale fiat: veluti *Grec, Grecs: Lac, Lacs: Long, Longs: Champ, Champs.* Excipienda ſunt quæ terminantur in *t*, vel *d*. nam in plurali ipſum *t* & *d* vertũtur in *s*, aut reiiciũtur: veluti *Dent, Dens: Soudard, Soudars: Dard, Dars: Plaid, Plais:* tametſi melius ſcriberetur *Plaids*, vt differat à *Plais*, quod ſignificat Places, à Placeo. Notãdũ autẽ, in quibuſdã dictionibus retineri *t*, & illi adiũgi *s* propter prolationẽ: veluti in *Secrets, Regrets.* In plurali ſi auferatur *t*, & illius loco ponatur *s* tantũ, pronũtiabis *Sécres*, prima ſyllaba longiore ſono, & vltima breui: propterea quòd *s* in fine vix pronuntiatur. Si verò relinquas *t*, & addas *s* pro plurali, conſonans attrahit ad ſe accentum, & efficit vt *s* ore aperto reſonet: tanquam illud pronunties accentu acuto, *Secrets, Regrets.*

Quæ finiunt in *al* in ſingulari, mutant *al* in *aulx* in plurali: veluti *Cheual, Cheaulx: Loyal, Loyaulx.*

Quæ verò terminantur in *s* in ſingulari, ſeruant eandem literam in plurali: veluti *Propos, les propos: ung Francois, les Francois: ung Anglois, les Anglois: une Perdris, deux perdris.*

Notandum eſt autem, maiores noſtros, in pluribus dictionibus, loco *s* finalis ſcripſiſſe *x*, etiam in ſingulari: veluti *Ombrageux, Maulx, Faulx, Aux, Enuieulx, Cieulx, Eulx.* Idque factum eſt ab eis ferè ſemper in his terminationibus *aulx* & *eulx*.

Quædam etiã habemus nomina tantũ pluralia: veluti *Sang, Or, Argent, Plomb, Eſtain,* & *Que* interrogatiuum, & *Gré*.

Figura.

Sunt quædam nomina ſimplicis figuræ: veluti *Ami, Heur.* Alia ſunt compoſitæ, aliquando ex duabus integris dictionibus, veluti *Malheur*: aliquando ex integra & cor-

230

rupta: veluti *Ennemi*, *en* est integrum, & *emi* corruptum, pro ami: quasi quis dicat, *non ami*. Aliquando ex corrupta & integra: veluti, *Chascun*, *Aucun*, *Quelcun*.

Casus.

Quod ad casus Nominũ & terminationes easdẽ, in nominatiuo, genitiuo, datiuo, accusatiuo, vocatiuo & ablatiuo, differimus omnino à Latinis: nã nobis vnica & eadem terminatio in singulari est pro sex casibus Latinorũ, vnica item pro plurali, addendo *s* ad singularẽ, vt dictum est in quarto accidẽti Nominis, quod est Numerus. veluti *Homme*, *Hommes*. Verùm hos casus declaramus articulis, *le*, *la*, *de*, *du*, *a*, *au*, *les*, *aux*, *des*: de quibus paulo póst.

Declinatio.

Declinationes (vt verum fatear) non habemus: nam quum vnica sit terminatio pro singulari, & vnica pro plurali, vt paulo antè dictum est, quomodo declinarentur? Vt autem dignoscantur casus & declinationes, vtimur articulis, vt paulo antè docuimus.

DE ARTICVLIS.

ARticuli sunt voculæ vnius syllabæ, quibus vtimur vt indicemus casus Latinorum quos vocant, nominatiuum, genitiuum, datiuum, accusatiuum, & ablatiuum, vt suprà dictum est. Duo præcipui, & qui reuera appellari debẽt articuli, sũt hi, *Le* pro masculinis, & *La* pro fœmininis singularibus: plurale vtriusque, siue masculinum, siue fœmininũ, est *Les*. Hos autem articulos mutuamur à Pronominibus Ille, Illa, Illi. Alios, *de*, *du*, *des*: *a*, *au*, *aux*, mutuamur à Præpositionibus. Quod ad *aux* attinet, si iungatur Pronomini *quels*, *x* mutatur in *ſ*, atque ita illi coniungitur tanquam esset vnicum vocabulum: veluti *auſquels*.

Exemplum de singulari masculino.

Nominatiuus,	*Le maiſtre.*
Genitiuus,	*De maiſtre*, *du maiſtre.*
Datiuus,	*A maiſtre*, *au maiſtre.*

Accusatiuus,	Le *maistre.*
Vocatiuus,	*Maistre*, sine articulo.
Ablatiuus,	De *maistre*, du *maistre.*

Plurale.

Nominatiuus,	Les *maistres.*
Genitiuus,	De *maistres*, vel Des *maistres.*
Datiuus,	A *maistres*, vel Aux *maistres.*
Accusatiuus,	Les *maistres.*
Vocatiuus,	*Maistres*, sine articulo.
Ablatiuus,	De *maistres*, vel Des *maistres.*

Exemplum de fœminino. Singulare.

Nominatiuus,	La *femme.*
Genitiuus,	De *femme.*
Datiuus,	A *femme.*
Accusatiuus,	La *femme.*
Vocatiuus,	*Femme.*
Ablatiuus,	A *femme*, De *femme.*

Plurale.

Nominatiuus,	Les *femmes.*
Genitiuus,	De *femmes*, vel *des femmes.*
Datiuus,	A *femmes*, vel *aux femmes.*
Accusatiuus,	Les *femmes.*
Vocatiuus,	*Femmes.*
Ablatiuus,	De *femmes*, vel *des femmes.*

Frequenter etiam vtimur his duobus *Vng* & *Vne* vice articulorum: vt quum dicimus, *Vng liure*, pro libro: *Vne femme*, pro fœmina.

In vsu autem differunt *de* & *du* articuli masculini genitiui singularis: præterea *a* & *au* articuli datiui singularis. Dicimus nanque, Le *liure de Pierre*, & non *du Pierre.* quia *du* nũquam iungitur fœmininis, neque propriis nominibus. nisi fortè velimus significare certam personam quam nouimus, aut de qua facta sit mentio: veluti Le *liure dudict Pierre.* Contrà verò dicimus, Le *liure du maistre*, non autem *de maistre*, tanquam loquẽtes de certo aliquo: nisi forte addas proprium nomen, *de maistre Iehan.* Aut

in hoc genere sermonis, *Tu fais l'office de maistre*, quod dictum est in genere, tanquã diceres, *Tu fais l'office d'ung qui a faict son chef d'œuure*. Differũt item (vt dictũ est) *a* & *au* in vsu: dicimus enim, *Ie l'ay donné a Pierre*, nõ autem au *Pierre*: propterea quòd non iungitur nominibus propriis: nisi dicas, *audict Pierre*: de quo scilicet facta est mentio. Neque etiam fœmininis. Non dicimus insuper, *Ie l'ay donné a maistre, a pere*, sed *au maistre, au pere*, subintelligentes aliquid aliud, veluti *au maistre de la maison, au pere de Ichan*.

Au, commune est datiuo, accusatiuo, & ablatiuo singulari Nominum masculinorum appellatiuorum. *Aus* similiter datiuo, accusatiuo, & ablatiuo plurali Nominum appellatiuorum masculinorũ, atque fœmininorum. Exemplum de singulari, *Ie l'ay rendu au pere, au pais, Ie m'en uay au pais, Ie l'ay laissé au pais*. De plurali, *Ie l'ay donné aux parẽs, Ie m'en uay aux champs, Il est aux champs*, & melius *es champs*.

Du & *des* aliquando ponuntur vice Pronominis: veluti quum dicimus, *Il y a du uin la dedans, Il y a des hommes la dedens*: istud *des* idem significat ac si diceres, *Il y a aucuns hommes*. *Du* similiter nonnunquam est vice *de* & *ce*, demonstratiuorum: veluti *Ie mange du mouton que nous auons tué*, hoc est, *de ce mouton*.

De frequenter reperitur antè articulos *le* & *la*: veluti, *Le maintien de l'homme*, *La couſture de la robe*, *La prenelle de l'œil*, *Le iugement de l'homme*.

Le & *La* nunquã præponuntur propriis nominibus virorum aut fœminarum. non enim dicimus, *Le Pierre*, *Le Ichan*: dicimus tamen, *La Seine*, *Le Rosne*, *La Champaigne*. Aliquando denotat id de quo iam dictum est, vel de quo fit mentio: veluti, *I'ay ueu l'homme qui a faict cela*, *Pierre m'a iniurié*, *nous cognoissez l'homme*. Quandoque præponuntur adiectiuis iunctis nominibus propriis, tũncque perinde significant, atque vocabulum istud, *dict*, vel *qui est*, vel *estimé*: veluti, *Philippe le Bel*, *Iehanne la Rousse*, pro *Philippe dict bel*, *Iehanne qui est Rousse*. Præponũtur etiam nonnunquã comparatiuo *plus*, in hoc genere dicendi, *C'est bien la fem-*

me la plus gracieuſe que ie uei iamais : vel, *C'eſt bien la plus gracieuſe femme que*, &c. Funguntur & vice relatiuorum, tuncque ſunt Pronomina: veluti, *I'ay ueu Pierre, & le uoirez.*

Non eſt autē omittendum, Infinitiuū naturā nominis accipientē, recipere articulum: veluti, *Le boire & le manger.*

DE PRONOMINE.

PRonomina, ſunt genus quoddam vocabulorū quæ vice Nominis tam proprii, quàm appellatiui ponuntur, ſine vlla ſignificatione aut declaratione temporis, indicantia ſemper certam aliquam perſonā. Hæc autē dictio *Pronom* compoſita eſt ex pro Latino, quod ſignificat *pour*, & dictione Gallicā *nom*: tanquam quis diceret, *pour nom*, vel *au lieu du nom*. Quum enim ſermonem habemus inter nos, moleſtum eſſet repetere ſæpius eandem dictionem, ſiue proprium eſſet nomen, ſiue appellatiuū: veluti ſiquis diceret, *Iehan a dict a Pierre que Pierre allaſt eſtudier*: pro iſto ſecundo *Pierre*, ponitur Pronomen, hoc modo, *Iehan a dict a Pierre qu'il allaſt eſtudier*. Aut, *Pierre recommande Pierre a Iehan, Iehan eſt ſi grand eſtudiant*: pro eo vt dicas, *Pierre ſe recommande a Iehan qui eſt fort grand eſtudiant*. Neceſſe fuit igitur comminiſci Pronomina, quæ non modo demonſtrarent Nomina, ſed etiam perſonas. Alia nanque eſt perſona quæ loquitur, alia quam alloquimur, & alia de qua fit ſermo, ad quā tamen non dirigitur ſermo. Quum autem ſola demonſtratio fiat his prioribus Pronominibus, *ie, tu, ceſtuy ci*, vel *ceſtuy la*, vel *luy*: opus fuit ad vitandam illam repetitionem Nominū, comminiſci hæc relatiua tam Nominū, quàm etiam Pronominū, veluti *qui*. Aliàs nanque pro eo quod diceremus, *Tu es celuy qui me plais*, dicendum fuiſſet, *Tu es celuy tu me plais*. & *Qui*, eſt relatiuum Pronominis *Tu*.

ACCIDENTIA PRONOMINIS.

Pronomen habet ſex accidentia, nempe Speciem, Perſonam, Genus, Figuram, Numerum, & Caſum cum Declinatione.

Sunt duodecim Pronomina, *Ie, Tu, Soy,* vel *Se, Il, Ce, Ceſt, Eulx, Mon, Ton, Son,* (vel *Mien, Tien, Sien,*) *Noſtre, Voſtre.*

Species.

Duæ ſunt ſpecies Pronominum: alia nanque ſunt primitiua: veluti, *Ie, Tu, Soy, Il, Ce, Ceſt.* Alia ſunt deriuatiua: veluti, *Mon, Ton, Son,* (vel *Mien, Tien, Sien,*) *Noſtre, Voſtre.*

Ex primitiuis quatuor ſunt demonſtratiua, *Ie, Tu, Ce, Ceſt*: & tria relatiua, *Soy, Il, Eulx.* Vnum autē modò demonſtratiuum, modò relatiuum, nempe *Il,* vel *li,* vel *luy,*

Perſonæ.

Pronomen habet tres perſonas, vt verba, Prima perſona eſt illa quæ de ſeipſa loquitur: veluti, *Ie ui a mon aiſe.*

Secunda eſt ea quæ adeſt præſens, & ad quā dirigimus ſermonem: veluti, *Que fais tu? Tu es bien a ton aiſe.*

Tertia eſt ea ad quam coràm non dirigimus ſermonē, licet de ipſa loquamur: veluti, *Il ne tient compte de ſoy.*

Genus.

Tria ſunt genera Pronominum: Alia maſculina, veluti *Il, Celuy.* Alia fœminina, veluti *Elle, Celle.* Quædam verò maſculina & fœminina, tam homini quàm fœminæ propria: veluti, *Ie, Tu, Soy, Qui.*

Figura.

Duas habet figuras Pronomen, vt & Nomen, aliæque partes orationis. Quædam enim ſunt ſimplicia, veluti *Ie, Tu, Il, Mon, Ton, Son. Qui.* Alia verò compoſita, veluti *Ceſtuy ci, Ceſtuy la, Moymeſme, Toymeſme, Luymeſme.*

Numerus.

Pronominibus ſunt etiā duo numeri, vt Nominibus. Singularis, veluti *Ie, Toy, Il.* Pluralis, veluti, *Nous, Vous, Ils.* Sunt quædam tantū ſingularia, veluti, *Ceci, Cela.* Alia ſunt quæ omnibus numeris ſeruiunt, veluti, *Se, Qui, Que. Pierre qui ſert ua,* & *Ceulx qui ſert uont, Le ſeruiteur que tu anois,* & *Les ſeruiteurs que tu anois.*

Caſus & Declinatio.

Pronomina habent quoſdam veluti caſus & declinationes, ſicuti Nomina: vt ex tribus ſubiectis declinationi-

bus palàm fiet.

PRIMA Declinatio complectitur tria ista Pronomina, *Ie*, *Tu*, *Soy*.

Ie declinatur sic,	Singulare.
Nominatiuus,	*Ie*, vel *Moy*.
Genitiuus,	*de Moy*.
Datiuus,	*a Moy*, vel *Me*.
Accusatiuus,	*Moy*, vel *Me*.
Ablatiuus,	*a Moy*, vel *de Moy*.
	Plurale,
Nominatiuus,	*Nous*.
Genitiuus,	*de Nous*.
Datiuus,	*a Nous*.
Accusatiuus,	*Nous*.
Ablatiuus,	*a Nous*, vel *de Nous*.
Tu sic declinatur,	Singulare.
Nominatiuus,	*Tu*, vel *Toy*.
Genitiuus,	*de Toy*.
Datiuus,	*Te*, vel *a Toy*.
Accusatiuus,	*Te*, vel *Toy*.
Vocatiuus,	*Toy*, vel *Tu*.
Ablatiuus,	*a Toy*, vel *de Toy*.
	Plurale.
Nominatiuus,	*Vous*.
Genitiuus,	*de Vous*.
Datiuus,	*a Vous*.
Accusatiuus,	*Vous*, similis nominatiuo,
Vocatiuus,	*Vous*.
Ablatiuus,	*de Vous*, similis genitiuo.

Vtimur *Moy* & *Toy* quando respondetur ad interrogationem: veluti, *Qui a faict cela?* vel, *Est ce toy qui a faict cela?* Respondetur, *C'est moy*. vel *C'est toy*. Quando item negamus nos fecisse id de quo accusamur: veluti, *C'est toy qui a faict cela. Ce n'est pas moy*. Vtimur etiam in huiusmodi loquutionibus, *Fay cela pour l'amour de moy*, *Ie l'ay faict pour l'amour de toy*. *C'est a moy*, *C'est a toy*. *Il n'ha cure*

de toy, ne de moy. Il eſt en moy ou en toy de faire cela. O moy miſerable.

Quod ad *Me & Te* attinet, ponuntur ante Verba, vt & *Moy* ponitur poſt Verba: veluti, *Ie me recommande a toy. Ne te ſoulcie.*

Soy ſic declinatur,

Singulare.

Genitiuus,	*de Soy.*
Datiuus,	*a Soy*, vel *Se.*
Accuſatiuus,	*Soy*, vel *Se.*
Ablatiuus,	*de Soy*, ſimilis genitiuo.

Plurale.

Datiuus,	*Se.*
Accuſatiuus.	*Se.*

Soy & *se* tametſi idem ſignificent, ſic differunt, quòd *Se* vt plurimum ponitur ante verbum, *Soy* verò poſt verbum: veluti, *Il ne ſe ſoulcie de rien, Il ne tient compte de ſoy.*

Pro plurali huius *Se*, vtimur *Leur* genitiuo plurali pronominis *Il*: veluti, *C'eſt le leur*, pro, *C'eſt a eulx. Ils ſont leurs*, pro, *Ils ſont a eulx. Ils le ſeront leur*, pro, *Ils le ſapproprieront.*

SECVNDA Declinatio.

Sub hac declinatione comprehenduntur Pronomina demonſtratiua & relatiua, quæ declinantur duabus terminationibus, altera maſculina, altera fœminina.

Singulare maſculinum,

Nominatiuus,	*Ce*, vel *Ceſt.*
Genitiuus,	*de Ce.*
Datiuus,	*a Ce.*
Accuſatiuus,	*Ce*, ſimilis nominatiuo.
Ablatiuus,	*de Ce*, ſimilis genitiuo.

Plurale.

Nominatiuus, *Ces*, ita in omnibus caſibus. éſtque maſculinum vel fœmininum: veluti, *Ces hõmes, Ces femmes.*

Ce & *Ceſt* ſic differunt, licet idem ſignificent, quòd *Ce* ponitur ante Nomina incipientia à conſonante, vel ab *h* pronunciato: veluti, *Ce bon homme, Ce loup, Ce liure, Ce halle-*

bardier, *Ce haran*. At *Ceſt* ponitur ante Nomina incipientia à vocalibus, aut ab *h* non pronuntiato: veluti, *Ceſt enfant*, *Ceſt homme*.

Fœmininum ſingulare.

Nominatiuus,	*Ceſte*.
Genitiuus,	*de Ceſte*.
Datiuus,	*a Ceſte*.
Accuſatiuus,	*Ceſte*, ſimilis nominatiuo.
Ablatiuus,	*de Ceſte*, ſimilis genitiuo.

Plurale.

Nominatiuus,	*Ceſtes*, ita in omnibus caſibus.

Ceſtuy, *Ceſtuy ci*, *Ceſtuy la*.

A *Ceſt*, fit alterũ Pronomen, *Ceſtuy*, vel vt quidam ſcribunt, *Ceſti*: cuius plurale eſt *Ces*. Huic *Ceſtuy* aliquando adiungimus *ci*, vel *la*: ac dicimus, *Ceſtuy ci*, nempe nobis propinquus, & de quo fit ſermo: & *Ceſtuy la*, remotus à nobis, & de quo fuit ſermo. Eorum plurale eſt *Ceulx*.

Ceci, *Cela*.

Hæc duo demonſtratiua fiunt etiam à *Ce*. *Ceci*, demonſtrat rem præſentem vel propinquam. *Cela* demonſtrat rem remotiorem. Nonnunquam interponitur dictio: veluti, *Ce liure ci*, *Ce liure la*: *Ceſt homme ci*, *Ceſt homme la*.

Celuy, vel *Cil*.

A *Ce* præterea componitur *Celuy*, vel *Cil*, Pronomen demonſtratiuum, non tamen rei certæ: ideo additur ei relatiuum ſequens, quod rem certam demonſtret: veluti, *Celuy eſt hommme de bien qui uit ſelon Dieu*. Vt doctè loquaris, nunquam ei poſtponas *Ci* neque *La*: nam ſunt aduerbia denotantia certum locum. Malè igitur loquêris Gallicè ſi dicas, *Celuy la eſt homme de bien qui* &c. nam dicendum eſt, *Celuy eſt homme*, &c. Eius plurale eſt *Ceulx*. Fœmininum ſingulare eſt *Celle*, & plurale, *Celles*.

Declinatio *Il*, vel *Luy*.

Nominatiuus,	*Il*, vel *luy*.
Genitiuus,	*de Luy*.
Datiuus,	*Luy*, vel *a Luy*.

234

Accusatiuus,	*Le*, vel *Luy*.
Ablatiuus.	*de Luy*, similis Genitiuo.

Plurale.

Nominatiuus,	*Ils*, vel *Eulx*, vel *Les*.
Genitiuus,	*Leurs*, *de Leurs*, *d'Eulx*.
Datiuus,	*a Eulx*, vel *Leur*.
Accusatiuus,	*Ils*, vel *Eulx*, aut *Les*, simil. nom.
Ablatiuus,	*Leurs*, *de Leurs*, *d'Eulx*, simil. gen.

Il & *Luy* differunt vsu: non enim *Il* ponitur eo loco vbi ponitur *Luy*, neque *Luy* vbi ponitur *Il*. Nam *il* sæpius præponitur Verbis: *Il dit*, *Il fait*, *Il est bon*, *Il est necessaire*, *Il y a infinis hommes*, *Il n'y a homme*. In interrogationibus verò & responsionibus, *Il* postponitur Verbo: veluti, *Fera il cela*? *Ce sont ils*, *C'est il*. *Luy* verò seruit responsionibus: veluti, *Qui a faict cela*? *Luy*, & non *Il*.

Eulx, est eiusdē naturæ atque *Luy*, seruiens respōsioni.

Fœmininum singulare.

Nominatiuus,	*Elle*.
Genitiuus,	*d'Elle*.
Datiuus,	*a Elle*.
Accusatiuus,	*Elle*, vel *La*.
Ablatiuus,	*d'Elle*.

Plurale.

Nominatiuus,	*Elles*, vel *Les*.
Genitiuus,	*d'Elles*, vel *Leurs*.
Datiuus,	*a Elles*, vel *a Leurs*.
Accusatiuus,	*Elles*.
Ablatiuus.	*d'Elles*, vel *Leurs*.

Le & *La* relatiua, quæ Verbis tantum iunguntur, illisque præponuntur: veluti, *Ie le uoy*, *Ie la uoy*. Tamen iuncta Imperatiuo, postponuntur: veluti, *I'ay a faire de ton liure, preste le moy*, *Fay le*, *Di le*, *Aime la*. Semper sunt accusatiui, nisi cum verbo substantiuo: veluti, *Ils sont bons hommes*, *mais ils le sont de tant qu'ils craignent Dieu*.

Iceluy & *Icelle*, sunt eiusdem significationis atque *Il*, *Luy*, & *Elle*.

His Pronominibus sæpe adiungimus particulam *Mesme*, ad maiorem vehementiam & declarationem: veluti, *Ie l'ay faict moymesme, Luymesme, Ellemesme:* tanquam diceres, *Moy propre, & non autre.*

Qui, Que, Quel, Lequel.

Habemus aliud relatiuum, nempe *Qui*, quod est generalius, propterea quòd inseruiat atque iungatur omnibus generibus, omnibus numeris, & omnibus personis. *Ie suis celuy qui t'ay secouru, Tu es celuy qui m'as tousiours aimé, Nous sommes du nombre de ceulx qui nous aiment, Ie suis celle qui nous aime*, &c. Præterea non admittit articulos: sic autem declinatur.

Singulare masculinum,

Nominatiuus,	*Qui, Que, Quel, Lequel.*
Genitiuus,	*de Qui, de Quel, du Quel.*
Datiuus,	*a Qui, a Quel, au Quel.*
Accusatiuus,	similis nominatiuo.
Ablatiuus,	similis genitiuo.

Plurale.

Nominatiuus,	*Qui, Quels, les Quels.*
Genitiuus,	*de Qui, de Quels, des Quels.*
Datiuus,	*a Qui, a Quels, aus Quels.*
Accusatiuus,	similis nominatiuo.
Ablatiuus,	similis genitiuo.

Vtimur *Qui* cum Præpositionibus vt & demonstratiuis: veluti, *A qui, De qui, Pour qui, Sur qui, En qui*, &c. Quandoque interrogat, *Qui est il? Qui estes nous?*

Vtitur est *Que* quando præpositione non est opus: veluti, *Voila Iehan que nous demandiez.* Nunquam est nominatiuus, nisi cum verbo substantiuo: estque omnium generum, numerorum, & personarū: veluti, *Ie suis ce que ie suis, Tu es ce que tu es, Il est ce qu'il est. Nous sommes ce que nous sommes, Vous estes ce que nous estes.* Frequenter vtimur eo interrogando: veluti, *Qu'estes vous? Qu'auez vous?* Sæpe etiā nobis idem significat *Que* atque *Lequel*: veluti, *I'ay parlé au Roy lequel vous desirez tant*: vel, *que vous desirez tant. Ie parleray a cest homme lequel vous craignez*: vel, *que vous*, &c. Similiter de fœ-

235

minino, *Ie prise bien la maison laquelle m'auez uendue:* vel, *que m'auez* &c. *I'aime les remonstrances lesquelles m'auez faictes:* vel *que m'auez faictes.*

Singulare fœmininum.

Nominatiuus,	*Qui, Que, Quelle, laQuelle.*
Genitiuus,	*de Qui, de Quelle, de laQuelle.*
Datiuus,	*a Qui, a Quelle, a laQuelle.*
Accusatiuus,	similis nominatiuo.
Ablatiuus,	similis genitiuo.

Plurale.

Nominatiuus,	*Qui, Quelles, lesQuelles.*
Genitiuus,	*de Qui, de Quelles, desQuelles.*
Datiuus,	*a Qui, a Quelles, ausQuelles.*
Accusatiuus,	similis nominatiuo.
Ablatiuus,	similis genitiuo.

Quel factum est à dictione Latina Qualis. *Ie ne scay quel il est. Quel homme es tu? De quel homme parlez uous?* Quando est relatiuum, non potest carere suo articulo *le*, neque eius fœmininũ *Quelle* potest poni sine *La*: veluti, *I'ay ueu Pierre, lequel uous cognoissez, I'ay ueu aussi sa femme laquelle uous aimez.* Tunc etiam quum est relatiuum, potest iungi particulis *du* & *au*: veluti, *Ie uous ay parlé de Pierre, duquel uous cognoissez la race:* vel, *auquel uous auez faict du plaisir.* Eius autẽ plurale iungitur particulis *des* & *aux*: veluti, *Les hõmes desquels ie uous ay parlé, & ausquels uous uous fiez.* Insuper *Quel* non potest consistere absque *le*, quando iungitur aliis præpositionibus: veluti, *Par lequel, Par lesquels: Sur lequel, Sur lesquels, Outre lesquels, Auec lesquels.* Sic dicendũ de fœmino, *lesquelles, desquelles, ausquelles, & esquelles.* Postremò in interrogationibus nos eo vtimur: veluti, *Lequel est ce d'entre uous qui uiendra auec moy? Par quel moyen? De quelle race es tu?*

Quoy videtur esse apud nos vice Quid vel Quod Latinorum: veluti quando dicimus, *Il ha dequoy, Quoy faisant il uiura:* tãquam dicas Latinè, Quod faciendo. Vtimur etiã eo pro aduerbio interrogandi, *Pourquoy? Surquoy? Dequoy?*

Y quidam dicunt esse Pronomen relatiuum actionis

& passiones referens, tam in plurali, quàm in singulari; veluti quando dicitur, *Il me fait beaucoup de faſcheries, mais i'y pourvoyeray, Ie vous dis qu'il eſt fort malade, a fin que vous y aviſiez. Prens garde a toy.* Alter reſpondet, *I'y pren garde.* Aliquando refert locum: veluti, *Vous vous en allez a Paris, je m'y en iray apres vous. Y allez vous? Y paſſerez vous?*

Notandum eſt autem, nos vti hac dictiuncula *Dont*, pro *De qui, duquel, deſquels, de laquelle, deſquelles*: veluti, *I'ay veu le livre dont vous parlez, Les hõmes dont vous parlez, La femme & les choſes dont vous m'avez eſcript.*

TERTIA declinatio.

Hæc tertia declinatio complectitur Pronomina poſſeſſiua, *Mon, Ton, Son* (vel *Mien, Tien, Sien*) *Noſtre, Voſtre.*

Singulare maſculinum.

Nominatiuus,	*Mon, Mien, le Mien.*
Genitiuus,	*de Mon, du Mien.*
Datiuus,	*a Mon, au Mien.*
Accuſatiuus,	ſimilis nominatiuo.
Vocatiuus,	*Mon.*
Ablatiuus,	ſimilis genitiuo.

Plurale.

Nominatiuus,	*Mes, Miens, les Miens,*
Genitiuus,	*de Mes, des Miens.*
Datiuus,	*a Mes, aux Miens.*
Accuſatiuus,	ſimilis nominatiuo.
Vocatiuus,	*Mes.*
Ablatiuus,	ſimilis genitiuo.

Singulare fœmininum.

Nominatiuus,	*Ma, Mienne, la Mienne.*
Genitiuus,	*de Ma, de la Mienne.*
Datiuus,	*a Ma, a la Mienne.*
Accuſatiuus,	ſimilis nominatiuo.
Vocatiuus,	*Ma.*
Ablatiuus,	ſimilis genitiuo.

Plurale.

Nominatiuus,	*Mes, Miennes, les Miennes.*

236

Genitiuus,	*de Mes, des Miennes.*
Datiuus,	*a Mes, aux Miennes.*
Accusatiuus,	similis nominatiuo.
Vocatiuus,	*Mes.*
Ablatiuus,	similis genitiuo.

Sic declinantur, *Ton, Ta, Tien, Tienne: Son, Sa, Sien, Sienne:* nisi quòd carent vocatiuis.

Mon, Ton, Son masculina nonnunquam ponuntur loco *Ma, Ta, Sa,* fœmininorum, ante nomina incipientia à vocali: veluti, *Mon ame, Ton auantgarde, Ton oreille, Son ignorance.* Aliquando dicimus, *M'amie, M'amour,* auferendo *a* ex *ma,* aut potius *on* ex *mon,* quòd pronuntiatio durior esset: loco autem literarum ablatarum ponitur apostroph⁹, quæ indicat defectum dictarum literarum, vt diximus suprà in principio, vbi de apostropho tractamus.

Vsui sunt etiam *Mon, Ton, Son* quando respõdetur ad interrogatum, repetendo substantiuum interrogationis: veluti, *Est ce la ton maistre? Ouy c'est mon maistre.* Si autem nolumus repetere substantiuum, vtimur his, *Mien, Tien, Sien. Est ce la ton liure? C'est le mien.* Quæ rarò ponuntur sine articulis *le, la, les, C'est le mien, La mienne, La sienne.* Cum verbo substantiuo non admittunt istos articulos, siue relatiua *qui, le, lequel,* vel demonstratiua (excepto Ce) præcedãt, siue non: veluti, *Ce cheual est mien, C'est celuy qui est tien, Lequel est tien Cestuy ci est tien, Cestuy la est sien.* Excepto Ce, dixi: non enim dicimus, *Ce est tien,* pro *C'est le tien.*

Declinatio Pronominum *Nostre* & *Vostre.*

Singulare.

Nominatiuus,	*Nostre, le Nostre.*
Genitiuus,	*de Nostre, du Nostre.*
Datiuus,	*a Nostre, au Nostre.*
Accusatiuus,	similis nominatiuo.
Vocatiuus,	*Nostre.*
Ablatiuus,	similis genitiuo.

Plurale.

Nominatiuus,	*Nostres,* vel *Nos,* vel *les Nostres.*

Genitiuus,	*des Noſtres, de Nos.*
Datiuus,	*aux Noſtres, a Nos.*
Accuſatiuus,	ſimilis nominatiuo.
Vocatiuus,	*Nos.*
Ablatiuus,	ſimilis genitiuo.

Fœmininum omnino ſimile, niſi quod articulu eſt fœmininus, *la Noſtre, de la Noſtre.*

Sic declinatur *Voſtre*, niſi quòd vocatiuo caret.

Nonnihil differunt inter ſe *Noſtres* & *Nos*, *Voſtres* & *Vos*, quod ad vſum attinet. nam vtimur *Nos* & *Vos* quãdo ſubſtantiuum ſequitur: veluti, *Nos amis*, *Vos amis*: *Nos lettres*, *Vos lettres*. Quod ſi ſubſtantiuum non exprimatur, aut ſi præponatur, tunc vtimur *Noſtres* & *Voſtres*: veluti, *Ces liures ſont noſtres*, vel *Voſtres*: *Qui ſont ces liures? Noſtres*: vel, *A qui ſont ces liures? Ils ſont noſtres.*

Eſt nobis Pronomen, quod quidam appellant iteratiuum eiuſdem perſonæ, ſiue nomen, ſiue pronomen ſit, nempe *meſme*, & in plurali *meſmes*: veluti, *Ie ſuis du meſme conſeil*, *Les maris des meſmes femmes*, *I'ay parlé a luy meſme*, vel *a eulx meſmes*, *Moy meſme le feray.*

DE VERBIS.

VErba ſunt dictiones quæ ſignificant aut agere aliquid, veluti *Aimer*: aut pati, veluti, *Ie ſuis aimé*, *Ie ſuis batu.*

Quæ ſignificant agere aliquid, propterea appellantur actiua. Alia quæ ſignificant pati, ideo appellantur paſſiua. Quæ autem verè actiua ſunt, formant ex ſe participium præteritum, vnde fiunt verba paſſiua, cum verbo ſubſtantiuo, de quo poſtea dicturi ſumus: velut verbum iſtud *Aimer* format ex ſe *Aimé*, participium præteritum: vnde dicimus, *Ie ſuis aimé.*

Eſt præterea aliud genus verborum, quæ neque ſunt actiua, neque paſſiua: atque ideo appellantur neutra, & non declinantur in voce paſſiua, veluti *Rire*, *ie ris*, *tu ris*, &c. *Courir*, *Aller.*

237

Præter hæc tria genera, eſt aliud verbum quod vocãt ſubſtantiuum, nempe *Eſtre*, quod neque actionem neque paſſionem ſignificat: ſed tantum denotat eſſentiam & exiſtentiam vel ſubſiſtentiam cuiuſcunque rei, eius quæ ſignificatur ipſo Nomine quod illi adiungitur: veluti, *Ie ſuis, Tu es, Il eſt*. Attamen vſqueadeo neceſſarium eſt omnibus actionibus & paſſionibus, vt non reperiatur vllum verbũ quod per iſtud non poſſit reſolui: propterea quòd omnis actio vel paſſio requirat exiſtentiam, vel ſubſiſtentiam, & eſſentiam.

Eſt & aliud genus verborũ quæ appellantur impersonalia, quòd neque perſonas neque numeros habeant. hoc eſt, quòd, quando illis vtimur, neſciamus de quo fiat ſermo, & an de vna an de pluribus perſonis. tantũ habet modos & tempora diſtincta. & omnia ſunt tertiæ perſonæ. Sunt autem duorum generum Latinis: alia terminantur in t, quæ vt Gallicè exprimamus, præponitur *il*: veluti Oportet, *il fault*, Oportuit, *il a fallu*. alia terminantur in tur. talia quum Gallicè reddimus, præponimus *on*: veluti, Amatur, *on aime*: Amabatur, *on aimoit*: Dicitur, *on dit*. In quo dicendi genere aliquando *ils* ponitur loco *on*. veluti, *Ils diſent*, pro *on dit*.

ACCIDENTIA VERBI.

Verbo ſeptem accidunt, Modus, Tempus, Species, Figura, Coniugatio, Perſona & Numerus.

Modus.

Modorum ſunt quinque genera. Primus modus appellatur Indicatiuus, propterea quòd verbum aliquando demonſtrat rem aliquam fieri, aut quòd fiebat, aut quòd facta ſit, aut quòd fiet: veluti, *I'aime, I'aimoye, I'ay aimé, I'auoye aimé, I'aimeray*.

Secundus modus Verbi appellatur Imperatiuus, quoniã vtimur eo in imperãdo: veluti *Aime*. Caret præterito: nõ enim imperare poſſumus quod eſt præteritum. eſt enim tempus irreuocabile. Habet igitur tantum præſens, quod tamen nõ ita præſens quin ſimul aliquid futurum

significet. Frustra nanque alicui præciperemus vt faceret id quod iam cœptum esset ab eo fieri. Præterea solemus nonnunquam (quum ita videtur) adiungere illi Nomen & Aduerbia significantia tempus: veluti, *Fai cela demain, a ceste heure, presentement*. quorum bona pars in se includit futurum. Quandoque vtimur futuro Indicatiui pro Imperatiuo: veluti, *Vous ferez cela, Tu iras la.* Tametsi per Imperatiuum tam commodè dici possit: idem enim est, *Faites cela*, & *Va la*, atque, *Vous ferez cela*, & *Tu iras la*, pronuntiata cum imperio, aut docendo aliquid superiores: non enim possunt inferiores, qui aliis subiiciuntur, præcipere superioribus: quum ne inter pares quidem præceptum habeat locum. Vnde apparet Imperatiuum magis esse futuri quàm præsentis temporis. saltem potest dici tam futuri quàm præsentis.

Tertius modus appellatur Optatiuus, quãdo optamus, siue desideramus aliquid modò fieri, seu factum esse, aut in futurum fieri: veluti, O *que uolontiers i'aimeroye, i'auroye aimé, Dieu ueille que i'aime.*

Quartus modus appellatur Cõiunctiuus, vel Subiunctiuus: quũ causã addimus, aut cõditionẽ. & duo modi simul iungũtur, vt fiat sentẽtia perfecta: veluti si dicã, *Quãd ie l'auray dict*, sententia non est perfecta, nisi aliquid aliud addam, veluti, *tu le scauras*, aut simile aliquid. *Pourquoy l'aimeroye ie, ueu qu'il ne me feit iamais que mal?*

Quintus modus verborũ appellatur Infinitiuus: quãdo verbũ solũ positũ, neque aliquid determinat, neque demonstrat certam personã quæ faciat aut patiatur aliquid: neque tẽpus in quo aliquid fiat: neque numerum personarum quæ agunt: vna, an plures: veluti *Aimer*. si alia vocabula nõ addas huic, ignoratur quis amet, tu an ego, aut alius aliquis: item quot sint qui amant, & quo tempore, Habet præteritum tempus: veluti *Auoir aimé*. Modus iste est origo omnium partium verbi. Latini habent etiam futurum, veluti Amaturum esse: quod nos exprimimus per futurum Indicatiui, addendo voculam istam Que, ve-

238

luti quum dicimus, I'*espere que Iehan aimera.*

Quod attinet ad Latinorũ Gerũdia & Supina, Gallis nõ est illis opus: nam ea exprimunt per infinitiuos aut participia: veluti prò eo quod Latini dicunt, Eo venatum, Galli dicunt, Ie *m'en uay chasser*. Redeo venatu, *Ie reuien de chasser*. Veni venandi gratia, *Ie suis uenu pour chasser*. Recreatur animus venando; *On sesbat en chassant*. Quædam aliter possumus enuntiare, veluti, *Ie uay a la chasse*, &c.

Tempus.

Tria sunt præcipua tempora: Præsens, Præteritum, & Futurum.

Tempore præsenti indicamus, rem de qua loquimur, nunc fieri: veluti, *Ie t'aime*, *Tu es aimé de moy*.

Tempus præteritum diuiditur in tria tempora. Primũ dicitur Tempus præteritum imperfectum: quia non denotat absolutam siue perfectam actionem vel passionẽ præteritam, sed tantummodo inchoatam: veluti I'*aimoye*.

Secundum appellatur Præteritum perfectum, quod est duorum generum: vnum est simplex, denotãs actionem vel passionem perfectam, cuius tamen tẽpus non est prorsus determinatũ, ita vt ab aliis dependeat, vt perficiatur sentẽtia: veluti, Ie *uei le Roy lors qu'il fut couronné*, Ie *fei ce que tu m'auois commandé*; *soudain que ie receu tes lettres*, Ie *leu hier les lettres que tu m'auois enuoyees il y a huict iours*. Tertium compositum est ex verbo *auoir*, & participio præteriti, significatque tempus prorsus præteritum, non opus habẽs aliis quæ consequantur vt perficiatur sensus: veluti, I'*ay eu le Roy*, I'*ay faict cè que tu m'auois commandé*, I'*ay leu tes lettres*. Sunt & alia duo genera: vnum quod fit ex præterito perfecto supradicti verbi *auoir*, & participio verbi cuius fit mentio: veluti, I'*eu aimé*. Alterum est etiam ex præterito perfecto verbi cuius fit mentio: veluti I'*ay eu aimé*.

Hæc duo genera nihil definiunt, quemadmodum nec præteritum plus quàm perfectũ: propterea aliquid præcedat aut consequatur necesse est, potissimũ in tẽpore præterito: veluti, I'*auoye faict quand uous ueintes*. I'*eu faict quand*

nous arriuaſtes. I'euſſe faict ſi tu me l'euſſes eſcript. I'ay eu faict auant qu'il arriuaſt.

Tertium appellatur Præteritum plus quàm perfectũ: quod formatur ex præterito imperfecto verbi *I'ay, as, at* cum participio præterito verbi cuius fit mentio: veluti, *I'auoye aimé.*

Futurum ſignificat tempus venturum: veluti, *I'aimeray.* Sæpius autem iungitur Aduerbiis, aut Nominibus ſignificantibus tempus: veluti, *Ie le feray a ceſte heure, maintenant, demain, dedans huict iours.* Nonnunquam vt oſtendamus rem futurã prope iam eſſe confectam, vtimur præterito perfecto cũm aduerbio, ſic, *I'ay faict maintenant, I'ay dict, I'ay tout incontinens diſné:* pro, *Ie feray, diray, diſneray incontinent.*

Species.

Duæ ſunt ſpecies verborũ: vna primitiua, quando verbum eſt ex ſe, nec formatur, aut deriuatur ab aliquo Nomine: veluti *Aimer.* Altera deriuatiua, quando formatur & deriuatur à Nomine, veluti à *Melancholie, melancholier:* à *Cholere, cholerer:* à *Ferent, Fienter:* à *Ris, Rire.*

Quod attinet ad Deriuatiua Latinorum, Frequentatiua, Meditatiua, & Deſideratiua, illis nos caremus in ea ſignificatione. Attamẽ Inchoatiua exprimimus per verbum *Cõmencer:* veluti, *Ie cõmence a auoir faim.* Meditatiua verò in rio, per verba Deſideratiua: veluti Parturio, *Ie deſire, ou ie ueulx enfanter.* Et Frequentatiua per aduerbiũ *ſouuent,* & ſimilia, veluti, *Ie hante, ou nay ſouuent.* Quanuis autem *Viſiter* factum ſit ex Viſito frequentatiuo, non ſeruat tamen ſignificationẽ in noſtra lingua: adeò vt opus habeat Aduerbio *ſouuent:* veluti, *Ie viſite ſouuent le Palais & les priſonniers.* Nonnulla habemus quæ ſignificant imitationem, terminata in *zer:* veluti *Tyrannizer, Latinizer, Grecizer.*

Figura.

Verba vt & Nomina atque Pronomina, habent ſimplicem figuram & compoſitam. Simplex, veluti *Dire, Veoir, Ouir.* Compoſita, veluti *Contredire, Preuoir, Defier.*

239

Coniugatio.

Quatuor sunt coniugationes Verborũ separatæ iuxta diuersas terminationes infinitiuorum.

Prima terminatur in *er* longum: veluti, *Aimer, Frapper, Donner.*

Secunda in *oir*, veluti, *Veoir, Ponoir.*

Tertia in *re* breue, veluti, *Dire, Battre, Cognoistre, Faire.*

Quarta in *ir*, veluti, *Fuir, Iouir, Gaudir.*

Persona.

Vt Pronomina, ita & Verba tres habent personas.

Prima de sese loquitur, & nõ de alio: siue agat, siue patiatur: veluti, *I'aime Pierre*, vel, *Ie suis aimé de Pierre.* Verum in plurali potest comprehendere quãuis personam, *Toy & moy auons faict cela. Luy & moy & toy auons faict cela.*

Secunda persona est ea ad quam dirigimus sermonẽ, veluti, *Tu aimes.* Cuius etiam plurale potest sibi adiungere tertiam persõnam, veluti, *Vous & Pierre irez la.* Nos sæpe vsurpamus hanc secundam personã pluralem pro singulari, quum nos alloquimur nobis superiores, veluti, *Vous estes mon pere & seigneur.*

Tertia persona est ea de qua, siue præsens, siue absens fuerit, loquimur, non dirigentes ad eam sermonẽ, veluti, *Pierre est allé la. Les hommes sont quelques fois pires que les bestes.*

Numerus.

Vt Nomina, sic & Verba duos habent numeros, singularem, veluti, *Ie li.* & pluralem, veluti, *Nous lisons.*

Supereſt nunc proferre exempla coniugationum quatuor, vt clarior & dilucidior sit demonstratio modorum, atque temporum & personarum. Quoniam autem verbũ *Auoir*, quod Latinè Habere dicitur, & verbum *Estre*, quod Latini appellant Sum vel Esse, inseruiunt cõiugationibus aliorum: primo loco sunt cõiuganda. præsertim verbum *Auoir*: quia & sibi inseruit, & verbo *Estre.* Verbum autem *Estre* inseruit etiam necessariò non solum passiuis, sed etiã multis neutris, veluti *Aller* & *Venir.*

CONIVGATIO VERBI AVOIR.

INDICATIVVS

Præsens,

S. *i'Ay, tu As, il Ha.*

P. *nous Auons, uous Auez, ils Ont.*

Scribimus *ha* in tertia persona, vt distinguamus eam à præpositione.

Præteritum imperfectum,

S. *i'Auoye, tu Auois, il Auoit.*

P. *nous Auions, uous Auiez, ils Auoyent.*

Præteritum perfectum,

S. *i'Eu, tu Eus, il Eut.*

P. *nous Eusmes, uous Eustes, ils Eurent.*

In *eusmes* & *eustes* scribitur *s* quod non pronuntiatur, tantùm additur ad producendam syllabam.

Aliter,

S. *i'Ay eu, tu As eu, il A eu.*

P. *nous Auons eu, uous Auez eu, ils Ont eu.*

Præteritum plus quàm perfectum,

S. *i'Auoye eu, tu Auois eu, il Auoit eu.*

P. *nous Auions eu, uous Auiez eu, ils Auoyent eu.*

Futurum imperfectum,

S. *i'Auray, tu Auras, il Aura.*

P. *nous Aurons, uous Aurez, ils Auront.*

Futurum perfectum,

S. *i'Auray eu, tu Auras eu, il Aura eu.*

P. *nous Aurons eu, uous Aurez eu, ils Auront eu.*

IMPERATIVVS

Præsens & Futurum,

S. *Ayes, qu'il Ait.*

P. *Ayons, Ayez, qu'ils Ayent.*

OPTATIVVS

Præsens, O *que uolontiers*

S. *i'Auroye, tu Aurois, il Auroit.*

P. *nous Aurions, uous Auriez, ils auroyent.*

Aliter, *Pleust a Dieu que*

S. *i'Eusse, tu Eusses, il Eust.*

P. *nous Eussions, vous Eussiez, ils Eussent.*

Præteritum perfectum, *O que volontiers*

S. *i'Auroye eu, tu Aurois eu, il Auroit eu.*

P. *nous Aurions eu, vous Auriez eu, ils Auroyent eu.*

Quidam scribunt, *i'Aroye, tu Arois, &c.*

Præteritum plus quàm perfectum,

Pleust a Dieu que, vel *O si*

S. *i'Eusse eu, tu Eusses eu, il Eust eu.*

P. *nous Eussions eu, vous Eussiez eu, ils Eussent eu.*

Futurum, *Dieu vueille que*

S. *i'Aye, tu Ayes, il Ait.*

P. *nous Ayons, vous ayez, ils ayent.*

CONIVNCTIVVS

Præsens, *Combien que*, vel *Comme ainsi soit que*

S. *i'Aye, tu Ayes, il Ait.*

P. *nous Ayons, vous Ayez, ils Ayent.*

Aliter, *Veu que*

S. *i'Ay, tu As, il Ha.*

P. *nous Avons, vous Avez, ils Ont.*

Præteritum imperfectum, *Quand.*

S. *i'Auroye, tu Aurois, il Auroit.*

P. *nous Aurions, vous Auriez, ils Auroyent.*

Aliter, *Combien que*

S. *i'Eusse, tu Eusses, il Eust.*

P. *nous Eussions, vous Eussiez, ils Eussent.*

Præteritum perfectum, *Combien que*

S. *i'Aye eu, tu Ayes eu, il Ait eu.*

P. *nous Ayons eu, vous Ayez eu, ils Ayent eu.*

Aliter, *Veu que*

S. *i'Ay eu, tu As eu, il A eu.*

P. *nous Avons eu, vous Avez eu, ils Ont eu.*

Præteritum plus quàm perfectum, *Quand*

S. *i'Auroye eu, tu Aurois eu, il Auroit eu.*

P. *nous Aurions eu, vous Auriez eu, ils Auroyent eu.*

Aliter, *Combien que*

S. *i'Euſſe eu, tu Euſſes eu, il Euſt eu.*

P. *nous Euſſions eu, uous Euſſiez eu, ils Euſſent eu.*

Rurſum aliter, *Veu que*

S. *i'Auoye eu, tu Auois eu, il Auoit eu.*

P. *nous Auions eu, uous Auiez eu, ils Auoient eu.*

Futurum, *Quand*

S. *i'Auray eu, tu Auras eu, il Aura eu.*

P. *nous Aurons eu, uous Aurez eu, ils Auront eu.*

INFINITIVVS

Præſens,

Auoir.

Præteritum perfectum,

Auoir eu.

PARTICIPIA.

Duo habet participia, vnum præſens *Ayant*: alterum præteritum, *Eu.*

CONIVGATIO VERBI ESTRE.

INDICATIVVS

Præſens,

S. *ie Suis, tu Es, il Eſt.*

P. *nous Sommes, uous Eſtes, ils Sont.*

Præteritum imperfectum,

S. *i'Eſtoye, tu Eſtois, il Eſtoit.*

P. *nous Eſtions, uous Eſtiez, ils Eſtoyent.*

Præteritum perfectum,

S. *ie Fu, tu Fus, il Fut.*

P. *nous Fuſmes, uous Fuſtes, ils Furent.*

Aliter,

S. *i'Ay eſté, tu As eſté, il A eſté.*

P. *nous Auons eſté, uous Auez eſté, ils Ont eſté.*

Præteritum plus quàm perfectum,

S. *i'Auoye eſté, tu Auois eſté, il Auoit eſté.*

P. *nous Auions eſté, uous Auiez eſté, ils Auoyent eſté.*

Futurum imperfectum,

S. *ie Seray, tu Seras, il Sera.*

P. *nous Serons, uous Serez, ils Seront.*

Futurum perfectum,

S. *i'Auray esté, tu Auras esté, il Aura esté.*

P. *nous Aurons esté, uous Aurez esté, ils Auront esté.*

IMPERATIVVS

Præsens & Futurum,

S. *Sois, qu'il Soit.*

P. *Soyons, Soyez, qu'ils Soyent.*

OPTATIVVS

Præsens, O *que uolontiers*

S. *ie Seroye, tu Serois, il Seroit.*

P. *nous Serions, uous Seriez, ils Seroyent.*

Aliter, *Pleust a Dieu que*, vel O *que*

S. *ie Fusse, tu Fusses, il Fust.*

P. *nous Fussions, uous Fussiez, ils Fussent.*

Præteritum perfectum, O *que uolontiers*

S. *i'Auroye esté, tu Aurois esté, il auroit esté.*

P. *nous Aurions esté, uous Auriez esté, ils Auroyent esté.*

Præteritum plus quàm perfectum,

Pleust a Dieu que, vel O *si*

S. *i'Eusse esté, tu Eusses esté, il Eust esté.*

P. *nous Eussions esté, uous Eussiez esté, ils Eussent esté.*

Futurum, *Dieu ueille que*

S. *ie Soye, tu Sois, il Soit.*

P. *nous Soyons, uous Soyez, ils Soyent.*

CONIVNCTIVVS

Præsens, *Combien que*, vel, *Cõme ainsi soit que*

S. *ie Soye, tu Sois, il Soit.*

P. *nous Soyons, uous Soyez, ils Soyent.*

Maisʃhuy, vel *Meʃhuy*, hoc est, Ampli' hodie: veluti quã-

do dicimus, Non faciam hodie, *Ie ne le feray meſhuy*. Vide paulo antè in *Huy*.

Oraprime, vel *Orprime*. Vide *Auprime* paulo ſuprà.

Ores, ſignificat modò, hoc ipſo tempore.

Onques, pro Vnquam, ſemper ponitur cum negatione, & ferè ſemper dicitur de tempore præterito: veluti, *Ie ne le ui onques*. Factum eſt ex Latino Vnquam.

Parauant, *Parci deuant*, vel *Vng temps indis*, ferè idem ſignificant.

Pieca, compoſitum eſt ex duobus vocabulis, *piece a*, vel *ha*, verbi *Auoir*, pro, longum eſt tempus.

Preſentement, poteſt iungi futuro, veluti, *La choſe ſe fera preſentement*, hoc eſt, hac ipſa hora.

Puiſque, vel *Apreſque*.

Quand, pro Quo tempore: veluti, *Ie ne ſcay quād cela ſe fera*. Eſt etiam interrogatiuum: veluti, *Quand ſe fera cela? Quand le faites uous? Quand faites uous cela?*

Quant bien y a il? vel *Quant long temps y a il?* pro *Combien y a il*? Ita quidam ſcribunt tanquā factum ex Latino, Quantum temporis eſt, vel Quàm longum tempus eſt.

Soir, *Au ſoir*, *De ſoir*, hoc eſt, Circiter noctem, aut veſperum. *Bon ſoir*, pro, *Bon ueſpre*.

Souuent, vel *Souuenteſfois*, idem ſignificant.

Tantoſt, tanquam dicamus *tan to*, ex Latino Tam cito.

Tandi, pro tempore dicto, vel in tempore dicto: dicimus aliâs, *Ce temps pendant*.

Toutiour, vel *touſiours*, pro *tous les iours*, hoc eſt, toto tempore, aut ſemper.

Veſpre, *De ueſpre*, *Au ueſpre*, pro, ſero. Hactenus de Aduerbiis ſignificantibus tempus.

Alia ſunt quæ ſignificant

Locum,

Quorum maiorem partem hîc poſuimus ordine literarum, vt reperiantur promptius.

Ailleurs, hoc eſt, Alio loco.

Ca, ſignificat ad locum, aut iuxta locum in quo eſt ille

qui loquitur.veluti *Il uient ca*,vel *Il uient en ca*. Huic cõtrarium est & oppositum *La*, significans ad locum, aut iuxta locum, qui remotus ab eo qui loquitur: veluti, *Il ua la*; vel, *Il sen ua la*, *Il ua en la*. Possunt etiam esse Aduerbia temporis: veluti quando dicimus, *Depuis dix ans enca. Dela a deux mois.*

Ci,demonstrat locum propinquum ei qui loquitur,vt indicat *Ca*.In raro est vsu *Ci*, sine præpositione *par* post verbum.tunc est demonstratiuum motus per locum:veluti,*Le Roy passera par ci*. Quod si verbo præponatur,est sẽper sine Præpositione: veluti, *Il a ci esté*, *Il est ci uenu*, *Il est ci passe*.

Dedens,Est compositum ex præpositione *de* & *ens*,*deens*, cui inseritur *d* ad iuuandam prolationem,*dedens*.

Dehors,videtur factum ex deforis,mutando *f* in *h*:& iũgitur his tribus verbis, *Aller*,*Venir*,& *Estre*: veluti, *Il est dehors*,*Il ua dehors*,*Il uient de dehors*.

Dont Videtur factum ex Deunde, si Latinè diceretur, hoc est,de quo loco.

En,est velut relatiuum loci aut rei cuius fit sermo. veluti si fiat mentio alicuius loci, dicimus, *I'en uien*, *En uenez vous*?Sæpius refert rem de qua facta est mentio:veluti, *Ie n'en ay point*,nempe argentum dictum. Etiam minitantes dicimus, *Tu en auras*, nempe verbera. Similiter dicimus interrogantes,*En as tu*? hoc est, *As tu de ce que ie te demande*? Quod attinet ad genus istud sermonis, *Il y en a*, *Il en est*:veluti,*Il en est*,vel, *Il y en a en ce mõde a qui ne chault de Dieu*: non recipitur ab iis qui propriè loquuntur Gallicè:dicendum enim est, *Il est des hommes en ce monde*,&c.*Il est de bestes sauuages*.

Ens,significat intus:veluti, *ci ens*, Hic intus, *Le maistre de ci ens*,*Ie uay ci ens*, *Ie uiens de ci ens*, *Ie passeray par ci ens*, pro *ci dedens*,Quod si de loco remotiore loquamur, tũc dicimus *Il est li ens*,*Va li ens*,*Ie uien de li ens*.Neque enim scribendum est *Leans*,vt nec *Ceans a bon uin*:sed *Li,ens*,*Ci ens*.

Fors,pro *hors*, quibusdam in locis Gallicè vtuntur dicẽ-

tes, *Allez fors.* Vtimur etiam in hoc genere sermonis, *Ie feray tout fors que cela*, pro, *hors mis cela.* Hinc est Forclos, & Forclus, & Forain, vt videre est in Dictionario Gallicolatino.

Hors & Dehors facta sunt ex Foris & foras, & deforis, mutando *f* in *h*, & iungũtur his tribus verbis, *Aller*, *Venir*, & *Estre*: veluti, *Il est hors, ou dehors. Il sen ua dehors. Il reuient de dehors* Dicimus etiam, *Il est hors du sens*, *Il est hors la ville.*

I vel *y* significat in hoc loco, per hunc locum, & ad locũ: veluti, *Y allez vous?* hoc est, Itis ad illum locum? *Y passerez vous?* pro, transibitis per eum locum? *Y estes vous?* pro, estis in eo loco?

Ici, est cõpositum ex *i* & *ci* demonstratiuo loci propinquioris. inseruit loco cuiuis, hoc est iũgitur his tribus verbis, *Aller*, *Venir*, & *Estre*: veluti, *Ie m'en uay ici*, *Tu passeras ici*, *Il uiẽt d'ici*, *Il est ici.* Iungitur & præpositioni *de*: veluti, *Il sen ua d'ici*, & *D'ici a dix ans.*

Ila Videtur compositum ex *i* & *la*, ita vt sint duo Pronomina composita: nec amplius significat quàm *la.* nam vbi vtimur *la*, potest poni *ila*, vel *ilec.* *Il est la*, vel *ilec.* *Il uã ila*, vel *ilec.* *Il uient d'ila*, vel *d'ilec.* Quidam scribunt *illa*, tanquam factum esset ex illic Latino, illinc, vel illuc. verùm rectius videtur quod priore loco dictum est.

La significat locum remotum à loquente: vt *Ca* significat locum in quo est qui loquitur. Vide *Ca* paulo antè. *Il est la*, *Il ua la*, *Va la*, *Ie uien de la*, *Va par la*, *Vers la*, *Iusques la.*

Li tantum significat quantum *la.* verùm ferè non vtimur nisi cum *ens*: veluti, *Il est liens*, pro, *la dedens.* Vide suprà *Ens.*

Ou Factum est ex Vbi Latino, auferendo bi, & vertendo *u* in *ou.* Iungitur his quatuor verbis, *Aller*, *Venir*, *Estre*, & *Passer*: veluti, *Ou allez vous?* *D'ou uenez vous?* *Ou estes vous?* *Ou passerez vous?* Dicimus, *Par ou passerez vous?* hoc est, Qua parte, vel Quo latere, aut Quo loco, siue Per quã partem, &c. & *Vers ou*, hoc est, Versus quod latus, siue Versus quã partem, aut locum.

Vers Vtimur pro Versus Latino: veluti, *Ie m'en uay uers*

Orleans. Vers ou nas tu? vel, Vers quel coſté?

Affirmatiua.

Sunt quædã Aduerbia affirmatiua: veluti, *Certes*, *Veritablement*, *Aſſeureement*, *Il eſt ainſi*, *Voire*. Vnum eſt quod in reſponſione affirmat, videlicet, *C'eſt mon*, pro, *C'eſt moult*: tanquam quis diceret Latinè, eſt multum. Vtimur eo pro his verbis, *Il eſt ainſi que tu dis*. Alterũ eſt, *C'eſt a ſcauoir*, quo vtimur ad hunc modum, *Tu feras ce que ie ſcay que tu fais diligemment, c'eſt a ſcauoir que tu pourſuyuras ce que ie t'ay cõmandé*.

Negatiua.

Non, & *Ne* differũt vſu. nam interrogãdo vtimur *Ne*, & *Non* in reſpondendo. *Ne ueulx tu pas deſiuner?* Reſpondetur, *Non*. Aliquando *Non* reſponſioni non adhibetur: veluti, *Pierre m'a faict ung grand tort: & non content de cela, il m'a faict ung tour non moins perilleux que meſchant. Iaques eſt ung homme ſcauant, non pas tant toutesfois qu'on penſe.*

Nani, vel *Nanin* vſui eſt in reſponſione. *As tu faict cela?* Reſpondetur, *Nanin*.

Ni & *Ne* frequenter conſequuntur: veluti, *Pierre, ne Iaques, ni Iehan, ne me ſerõt rien. Ie n'iray point*, pro *Ie ni iray point*. Aliquando *n'y* cum apoſtropho ponitur pro negatione *Ne*, & Aduerbio ſignificante locum: veluti, *Ie n'y ay pas eſté, & n'y vouldroye auoir eſté*.

Appellatiua.

He, *Hau*, *Haula*, vel *Hola*. Ad quæ reſpondemus, *Quoy?* hoc eſt, *Que vous plaiſt il? Plaiſt il? Plaiſt vous?*

Collectiua.

Pareillement, *Semblablement*, *Preſque*, *Quand & quand*, *Enſemble*, *Enſembleement*, *Auec l'ung l'autre*.

Cõparatiua, ſiue denotantia cõparationẽ.

Plus, *Moins*, *Mieulx*, *Pis ou Pire*. Inter quæ *Plus* & *Moins* poſſunt formare infinita comparatiua cũ Aduerbiis deriuatis à Nominibus: veluti, *Plus volontiers*, *ſagemẽt*, *prudemment*, *amoureuſement*, & *moins follement*, atque id genus innumera. Quod ad Superlatiuum *Tres* attinet, format etiam infinita comparatiua, vt *Plus* & *Moins*. nam dicimus *Treſ-*

bien, *Tresmal*, *Tressagement*.

Prohibentia & dissuadentia.

Ne, veluti, *Ne faictes pas cela*.

Demonstratiua.

Voyci, de re propinqua: *Voyla*, de re longinqua. Male scribitur, *ueci*, *uela*. Aliquando dicimus, *Voyci uenir Pierre*, vel *qui uient*.

Desideratiua,

Volontiers, *O si*: veluti, *O si i'auoye cela*. Pauca habemus, propterea vtimur circunloquutionibus, *Pleust a Dieu*, *Ie vouldroye*, *A la mienne uolonté*.

Quando dubitamus.

Quædam denotant dubitationem, veluti, *Paraduenture*, *D'aduenture*, *De cas d'aduenture*, *Par fortune*. Vtimur etiam his duobus, *Possible*, & *Peult estre*, dubitantes.

Quando eligimus.

Plustost, vel *Mieulx*, *Aincois*.

Hortatiua.

Hay, *Auant*, *Hayauant*, *Or auant*, *Sus*, *Or sus*, *Lala*.

Interrogatiua.

Que fais tu? Què n'es tu uenu? Pourquoy fais tu cela? Pour quelle cause? A quelle cause? Quando pulsatur ostium, interrogamus, *Qu'est la? Qui est la? Qui est ce la?*

Responsiua.

Ouy, veluti, *As tu faict cela?* respondetur, *Ouy*, vel *Namin*.

Numeralia.

Habemus etiam Aduerbia quibus vtimur in numerādo, addendo *fois* ad numerum numeralem: veluti *une fois*, *deux fois*, &c. sic pergendo in singulis numerorum nominibus, *six fois*, *dix fois*, &c.

Ordinalia.

Quædam sunt quibus ordinem rerum significamus, & terminantur in *ent*, *Premierement*, *Secondement*, *Tiercement*, *Quartement*, &c. Vtimur tamen pro eis alio genere sermonis, cuiusmodi, *Depuis*, *Apres*, *Puis apres*, *En apres*, *En premier lieu*, *Pour la premiere fois*, *En premier article*, *Pour la seconde rai-*

ſon, Huictieme, ou Dixieme poinct, & Item.

Ad notandam qualitatem.

Nonnulla ſunt quæ denotãt qualitatem rerum: veluti, *Bien, Mal,* vnde dicimus *Mauuaiſemẽt.* Vt plurimum terminantur in *ment,* quod adiungitur fini vocabulorum fœminorũ: veluti à *Secrete, Secretement: Belle, Bellement: Doulce, Doulcement: Facile, Facilement: Seure, Seurement.* Participiis terminatis in *ant:* ablato *t,* & *n* conuerſo in *m,* adiũgimus *ment,* vt formemus Aduerbium: veluti *Abondant, Abondam ment: Vaillant, Vaillamment.*

Quantitatem.

Alia verò quantitatem: veluti, *Vng petit, Vng peu, Moins, Aſſez, Moyennement, Trop, Par trop, Beaucoup, Prou, Entredeux,* hoc eſt, neque plus, neque minus. *Tant, Bien, Totalement, Pas, Point.* quæ duo poſteriora ſatis multis exponuntur in noſtro Dictionario Gallicolatino.

Quando remiſſim & ſenſim fieri aliquid dicimus.

Tout beau, Bellement, Peu a peu.

Separatim fieri notantia,

Arriere, A part, Separeement, En reuers.

Similitudinem ſignificantia.

Quaſi, Pres, Preſque cheut, Comme, Quaſi comme, Si, in hoc genere ſermonis, *Mon liure eſt ſi faict,* hoc eſt, talis. *Il eſt ſi fort, ſi docte,* hoc eſt tam. *Ainſi, Tout ainſi. Il n'eſt point ainſi que tu dis. Ie l'ay ainſi dict.*

Notandum autem, duo aut tria nonnunquam Aduerbia à nobis coniungi, veluti, *Allons la ou il y a de bon uin.* Barbaro ſermone diceretur, Illuc vbi ibi illic eſt bonum vinum.

DE CONIVNCTIONE.

CONiunctiones ſunt vocabula quæ non declinantur: tantum vſui ſunt ad cõiungendas ſimiles orationis partes, aut clauſulas clauſulis, cum nonnulla ſignificatione: veluti ſubſtantiuum cum ſubſtantiuo, vel Pronomine: veluti, *Pierre & Iehan, Ceſar & moy.* Aut adiectiuum cum adiectiuo: veluti, *Ceſar magnanime & heureux.* Pronomen cum pronomine: veluti, *Toy & moy.* Participium cũ participio: veluti, *Le ialoux bruſlant & ardãt de ialouzie.* Aut Participium cum adiectiuo: veluti, *Vng couard & laſche, & hay de gens de bien.* Aut etiam Verbũ cum verbo: veluti, *Il bruit & crie.* Coniungit etiam Aduerbia: veluti, *Il ua lentement & peſantemẽt.* Poſtremò cõiungit clauſulas: veluti, *Il fait de l'hõme de bien, ombien qu'il ſoit ung grand uſurier.*

ACCIDENTIA CONIVNCTIONIS.

Duo accidunt Coniunctioni, Figura, & Significatio.

Figura.

Coniunctiones aliquando ſimplicis ſunt figuræ: veluti, *Et, Ou, Ne, Mais, Que.* Quædam ſunt cõpoſitæ: veluti, *Combien, Touteſfois, Sinon.*

Significatio.

Quædam Coniunctiones ſunt copulatiuæ, non modo vocabula & clauſulas cõiungentes, ſed etiam ſenſum: veluti, *Et, Auſſi, Ainſi que.* Tametſi autem omnes cõiunctiones, ſi in genere accipias, ſunt copulatiuæ: nos tamen hîc appellamus copulatiuas, quæ coniungunt ſenſum cum confirmatione: veluti, *Pierre & Ceſar ſont hommes. Tu as eſté a Romme, auſſi ay ie. Ie fay tout ainſi que tu fais.*

Vna eſt quæ ſenſum diſiungit: tametſi coniungat vocabula vel clauſulas: veluti, *Ceſar ou Pompee.* Quidam ſcribunt Ne eſſe alteram, veluti quando dicimus, *Ne toy ne luy.*

Aliæ ſunt Adiunctiuæ, priori ſententiæ aliquid adiungentes, *Pendant, Tandis que:* veluti, *Ie feray mon debuoir pendant que tu feras le tien,* vel *tandis que,* &c.

263

Nonnullæ ſunt aduerſatiuæ: veluti, *Mais, Toutesfois, Combiẽ que, Ia ſoit que, Au moins, A tout le moins, Ains, Aincois:* veluti, *Ie luy ai faict plaiſir, mais il eſt ingrat. Si tu ne me veulx faire bien, a tout le moins ne me fais point de mal.*

Sunt & Continuatiuæ, ſiue Conditionales: veluti, *Si.* Exemplum, *S'il dort, il repoſe.*

Quædam reddunt cauſam eorum quæ dicta ſunt, aut facta: veluti, *Car.* Aliquando vtimur præpoſitionibus cũ earum regimine, pro Coniunctionibus, maxime huius generis: veluti, *Par ce que.* Exemplum, *Ie feray voſtre volonté, par ce que vous le meritez bien.* vel, *car vous, &c.*

Aliæ vſui ſunt quando volumus excipere aliquid: veluti, *ſinon, Si ne, Sans cela, Autrement, & Que.* Exemplum, *Ie ne fache homme qui le feiſt ſinon toy.* vel, *que toy.* vel, *ſi n'eſt toy. Que ſi non, i'en ſuis content. Sans cela,* vel, *Aultrement, ie feray ce que tu vouldras.*

Sunt quæ negant: veluti, *Ie ne le feray, ni ne le diray. Iehan ne Pierre ne me feront faire cela.* Attende autem, priorem negationem primæ clauſulæ prioris exempli eſſe tantummodo aduerbium: & *ni ne,* ſubſequentis coniunctionem. At prius *ne,* ſecundi exempli eſt coniunctio: quòd coniũgat duo Nomina ſubſtãtiua: alterum eſt aduerbiũ tantũ.

Quædam inferunt, vel colligũt ex præcedentibus quid conſequatur: veluti, *Parquoy, Dont, Pourtant, Pource.* Latinè vocantur Collectiuæ.

Poſtremo aliquot ſunt quæ orationi complendæ tantum inſeruiunt: veluti, *Or, Donc, Donques, Ordonques.*

DE PRAEPOSITIONE.

PRæpositiones sunt vocabula vnius syllabæ frequenter, aliquando vnius literæ, sæpissime duarum syllabarum, & pauciss̃ima trium: quæ præponuntur aliis vocabulis quando fit sermo de loco, de ordine, aut redditur ratio quare aliquid factum sit: veluti, *Il est en la chambre. Second apres ceſtuy la. Ie l'ay faict a cauſe de luy.*

Sunt quædam simplices, veluti A, Au, Aux, De, Du, &c. Compositæ aliæ inter se: veluti, *Parauant*, Au *parauant*, En *derriere*, *Entre*. De omnibus, paucis exceptis, tractabimus ordine literarum: & primùm de simplicibus.

A & Au, & eorum pluralis Aux, sunt vice articulorũ, vt dictũ est prius vbi de articulis facta est mentio: veluti, *Ie l'ay dõné a Pierre, au vigneron, & aux poures.* Sunt nobis etiã vice præpositionis Latinæ Ad. veluti pro eo quod Latini dicunt, Eo ad patrem, dicimus, *Ie m'en vay a mon pere.*

Apres, est vice Post Latinorum.

Arriere, vel *Loing* vice Procul. veluti, *Arriere de nous.*

Au, vide A, paulò ante.

Auec vtimur pro Cum præpositione Latina: veluti, *Auec mon pere.*

Auant, pro Ante, veluti, *Auant le temps.*

Aux pluralis est ab A & Au, Vide A paulo ante.

Chez, pro Apud: veluti, *Chez mon pere*, Apud patrem.

Contre, vice Contra, vel Aduersus Latinorum. Vnde fit *Encontre*, vel, *Alencontre de tels.* Significant etiam Prope.

De, cuius pluralis est *Des*, est vice articuli demõstrantis genitiuos tam singulares quàm plurales: veluti, *L'habit de Pierre*, vel *de femme.* Vide ante Nomen partem orationis, De articulis. Vsui nobis etiã est pro præpositionibus Latinorũ A & De: veluti, Habui à Petro, *Ie l'ay eu de Pierre.* Audiui ex te, *Ie l'ay ouy de toy.*

Deca, pro Cis, Citra Latinorum, significat locum propinquiorem: vt *Dela* (pro quo dicimus Latinè Vltra) signi-

ficat locum longinquum. veluti, *Deca le Rhein*, versus Galliam. *Dela*, vel *Oultre le Rhein*, versus Germaniam.

Dedens, vel *Dedans*, pro Deintus, interponendo *d*, vt lenior sit prolatio, quæ durior esset si diceres, *deens*, *Il est dedens la maison*.

Dela contrariam habet *Deca*. *Aller dela la mer*. Vide *Deca* paulo anté.

Derriere nobis est pro Post Latino, vel retro: veluti, *Par derriere*, *Derriere le temple*.

Des, pluralis est præpositionis *De*. Vide *De* paulo anté.

Dessoubs, pro Subter, vel Subtus Latino. *Estre dessoubs*. *Par dessoubs*.

Dessus contrariam habet *Dessoubs*. Latinè dicimus Super, Supra, *Estre dessus*.

Deuers, veluti, *Regarde deuers moy*. Latini dicunt Versus. *Enuoyer deuers le Roy*, Mittere ad Regem.

Du, vel *de*, singularis est; pluralem habens *des*. Vide *De*.

En facta est ex In Latino. Plurale est *Es*: veluti, *En la maison*, *Es maisons*: & significat locum quò diuertimus, aut in quo habitamus. Quum loquimur de patria aliqua, dicimus, *Ie m'en uay*, vel *Ie suis en Champaigne*, non autem *A Champaigne*. Si verò loquamur de vrbe aliqua, dicimus, *Ie m'en uay a Paris*, *A Lion*, non autem *en Paris*. Similiter dicimus, *Il est a Rome*, vel *dedens Rome*. Item, *En allant a Paris*, *En estudiant*. *Il est en prison*. *On le meine en prison*. Aliquando significat similitudinem: veluti quando dicimus, *C'est faict en homme*, *C'est faict en beste*. quod perinde valet acsi quis dicat, *Comme ung homme*, *Comme une beste*. Nonnunquã est Aduerbium, vel Pronomen relatiuum, vt Y: veluti, *Il est bien malade, il en mourra*. *Il m'a faict tort, il s'en repentira*. Postponitur & istis Pronominibus *me*, *te*, *se*, *nous*, *uous*, quando iunguntur verbis motus: veluti, *Ie m'en uay*, *Ie m'en reuien*, *Il s'en ua*, *Tu t'en uas*, *Vous nous en allez*.

Enuers, pro Erga: veluti, *Enuers toy*, Erga te.

Entre, facta est ex Inter, mutando *i* in *e*, & transponendo *r*. *Ionous entre nous*, Ludamus inter nos.

Es, pluralis est præpositionis *En*, vt dictum est in *En*.

Hors, vel *Dehors*, vtimur pro Extra Latino: veluti, *Hors temps & heure*, *Dehors la maison*.

Iouxte, pro Iuxta Latino quidam vtuntur: verùm hoc est nimis anxiè Latinitatis vestigiis insistere.

Iusques, vel *Iusque*, est pro Præpositione Latina Vsque: tantùm præponimus *s*.

Oultre, factum est ab Vltra, vertendo *u* in *ou*.

Par, est Per Latinorum, mutando *e* in *a*. *De par Dieu soit*, *Par la*, *Par fois*, *Par cel si*.

Pour, est vice Pro Latinorum, mutando *o* in *ou*, & trāsponendo *r*. *Pour ma part*. *Pour le plus*, *Pourquoy*.

Pres, est pro Iuxta Latino. *Pres la maison*.

Puist, vel *Puis*, factum est ex Post Latino, quod significat Postea: veluti, *Puis*, vel *Puist me dict*. Vnde *Depuist que*. Aliquando vtrunque coniungimus, *Puist apres*.

Sans, est pro Sine Latinorum: veluti, Sine fine, *Sans fin*. Sine causa, *Sans cause*.

Selon, est nobis pro Secūdum Latino: veluti, *Selon le lieu & le temps*, *Selon que ie pense*.

Soub, vel iuxta alios *Soubs*, à Sub Latino, *u* conuerso in *ou*. *Soub moy*, *Soub toy*.

Sur, est vice Super Latinorum, auferendo pe. Nonnulli vertunt *r* in *s*, *Sus*. *Sur le toict*.

Vers, factum est ex Versus Latino, auferendo *us*: veluti, *Vers l'Orient*, *Vers l'Occident*.

Quædam Præpositiones componuntur inter se: veluti, *Parauant*, *Auparauant*, *Enderriere*, *D'entre*, *Encontre*, *Aupres*, *Endedans*, *Enarriere*.

DE INTERIECTIONE.

INterIectiones ſunt vocabula quæ interiiciuntur ſiue interponuntur ſermoni alicui, vt demonſtretur affectus loquentis: & non declinantur, ſuntque vt plurimum vnius ſyllabæ.

Harum ſunt varia genera, quæ vix ſcriptura comprehendi poſſunt. nam quiſque pro diuerſis affectibus exprimit vocem vel triſtitiæ vel lætitiæ, aut vt demonſtret aliquid deimprouiſo accidiſſe, quod non cogitarat, vnde miratur, aut exclamat. Nos vulgatiores hîc declarabimus.

Ha, inſeruit nõnunquam mœrori, veluti, Ha *quelle faſcherie.* Aliás iræ: veluti, Ha *meſchant, tu es mort.* Aliquando etiam lætitiæ & riſui: veluti, Ha *ha ha he.*

O, eſt Interiectio admirantis: veluti, O *que uoila une belle maiſon.* O *que de peuples.* Eſt etiam optantis vel inuocantis: veluti, O *mon Dieu.*

Hei, vel potius He, vſui eſt, quum accerſimus aliquem: veluti quum dicimus, *Vien ca he.*

Hau ſeruit etiam quum accerſimus: veluti, Hau *Pierre, uien ca.*

Hai, eſt exhortantis: veluti, Hai *auant.* Vtimur eo etiam quum querimur: veluti, Hai *hai hai nous me bleſſ*

Phi *phi*, quando reiicimus, aut deteſtamur aliquid.

Helas frequenter vtimur in lamentis & planctu: veluti, Helas *que feray ie?*

Hoé, quum admiramur, aut obſtupeſcimus: veluti quãdo dicitur, Hoé *qu'eſt ce la?*

Hactenus de literis, & de nouem generibus vocabulorum, ſiue de nouem partibus orationis in ſermone Gallico.

DE PERMVTATIONE LITERA-
rum in vocabulis Latinis quum fiunt Gallica.

SVpereſt vt oſtendamus quomodo Gallicus ſermo magna ex parte factus ſit ex Latino. Quoniam igitur noſter ſermo ferè eſt ex Latino, ponendo literam aliam pro alia, auferendo literam vel ſyllabam, addendo, interponendo, vel tranſponendo: propterea hîc quædam exempla proferre placuit, iuxta ordinem vocalium & conſonantium: vt videas quâ ratione maiores noſtri ſequuti ſint in huiuſmodi, quàm item cōmodè, & quanta cum ſuauitate pronuntiationis.

A verſum in E.

A quod eſt in fine vocabulorū, & nōnunquā in principio, ſæpe mutatur in E, vt fiat vocabulum Gallicum: vt vides in ſequentibus exemplis.

Æſtas, *Eſté.* Ala, *Aile.* Apoſtema, *Apoſtume.*
Bonitas, *Bonté*, Caritas, *Cherté:* & ita ferè de omnibus vocabulis terminatis in tas.

Chiſma, *Chiſme.* Mula, *Mule.* Sal, *Sel.*
Comitatus, *Conté.* Pluma, *Plume.* Scriba, *Scribe.*
Ducatus, *Duché.* Porta, *Porte.* Talis, *Tel.*
Mare, *Mer.* Qualis, *Quel.*

A in I.

Ceraſum, *Ceriſe.* Ceraſetum, *Ceriſee*, vel *Ceriſaye.*
Vacuus, *Vuide.* Vacuare, *Vuider.*

A in O V.

Tangere, *Toucher.*

A in EA.

Aqua, *Eaue.*

A in AI diphthongum.

Acer, *Aigre.* Dama, *Daim.* Faſcis, *Fais.*
Amare, *Aimer.* Facere, *Faire.* Lana, *Laine.*
Area, *Aire.* Fames, *Faim.* Macer, *Maigre.*
Mane *Main*, pro *Matin*. vnde *Demain.*

Manus, *Main.* Planus, *Plain.* Stannum, *Eſtain.*
Nanus, *Nain.* Rana, *Raine.* Stramen, *Eſtrain.*
Pax, *Paix.* Sanus, *Sain.* Tacere, *Taire.*
Trames, *Traim.* vnde dicitur, *I lua grand train.* hoc eſt celeriter. Et *Il ua a grand traim.* pro, habet magnum comitatum ſequentem, ſiue magnam habet familiam. Tametſi *Train* poſſet deriuari à Tranare, *Trainer,* tanquam quis tranaret ſiue traheret poſt ſe magnum famulitium.
Vado, *ie Vay.* Vanus, vana, vanum, *Vain.*
Villanus, *Villain.*

Aliquando iſta diphthongus AI eſt iũcta, vt in præcedentibus exemplis: aliquando diducitur: veluti, *Il a tray ſon frere, Il hait ung tel.*

A in AV, præcipue quum dictio Latina ſequitur *l.*
Aliquis, *Aulcun,* factum eſt ex Aliquis vnus.
Alter, *Aultre.* Altus, *Hault, Haulte.*
Calidus, *Chauld, Chaulde.*
Calx, *Chaulx.* Falx, *Faulx,* Saltus, *Sault.*
Falſus, *Faulx.* Salix, *Saulx.*

A in OV.

Aperire, *Ouurir.* Apertus, *Ouuert, Ouuerte.*

AV in O, vel in OV,

Audire, *Ouir.* Auricula, *Oreille.* Aurum *Or.*
Aurifaber, *Orfeure.* Auis, *Oiſeau.*
Cauda, *Coue,* vel *Queue.*
Caudatus, *Coué,* vnde *Couard.*
Claudere, *Clorre.* Clauſtrũ, *Cloiſtre.* Clauſum, *Clos.*
Clauus, *Clou,* vnde *Clouer, Enclouer.*
Pauper, *Pouure,* Theſaurus, *Treſor.*

B in C.

Cubare, *Coucher.* Cubile, *Couche.*

B in F.

Bubalus, *Bufle.* Trabs, *Trefs.*
Sibilare, *Sifler.* Tuber terræ, *Truſle.*

B in G.

Cambire, *Changer.* tametſi Cambire non ſit Latinum,

Rabies, *Rage.* Ruber, *Rouge.* Rubere, *Rougir.*

B in P.

Lambere, *Laper.* Turbella, *Troupeau.*
Turba, *Troupe,* Turbinare, *Toupier.* Turbo, *Toupie.*

B in V.

Caballus, *Cheual.* Cubare, *Couuer.*
Debitum, *Vng Deut,* vel *Debte.*
Debitus, *Deu, Deue.* Ebur, *Yuoire.* Faber, *Feure.*
Ebrius, *Yure.* Faba, *Feue.* Habere, *Auoir.*
Hybernum, *subaudi tempus, Yuer,* vel *hyuer.*
Liber, *ung Liure.* Libra, *une Liure.* Taberna, *Tauerne.*

C in CH.

Bucca, *Bouche.* Caminus, *Cheminee.*
Caballus, *Cheual.* Musca, *Mouſche.*
Muscus, *Mouſſe,* vel *Mouſſe.*
Peccatum, *Peché.* Pertica, *Perche.* Vacca, *Vache.*

C in G.

Acuere, *Aguiſer.* Acutus, *Agu.*
Acus, *Aguile.* Alacer, *Alaigre.*
Callus, *Galle,* etiam pro ſcabie: vnde *Galleux.*
Ficus, *Figue,* vel *Figuier.* Locare, *Loger.*
Locus, *Loge, Logis, Lieu.* Macer, *Maigre.*
Muscata nux, *Noix Muſguette.*

C in QV.

Bellicus, *Bellique.* Coquus, *Queu.*
Hiſtoricus, *Hiſtorique.* atque ita de adiectiuis Latinorum in cus. Nasci, *Naſquir* & *Naiſtre.*

C in T.

Cognoscere, *Cognoiſtre.* Nascl, *Naiſtre.*
Creſcere, *Croiſtre.* Paſcere, *Paiſtre.*

D in C, vel CH.

Expedire, *Deſpeſcher.* Impedire, *Empeſcher.*

D in G.

Hordeum, *Orge.* Iudex, *Iuge.*
Iudicare, *Iuger.*
Mandere, *Manger,* vel *Menger.*

Medicus, Mege, vocabulum vetus, pro Medecin.
Rodere, Ronger. Vindicta, Vengeance.
Tardare, Tarder, vel Targer. Viridarium, Vergier.
Vindicare, Venger.

D in L.

Egidius, Gile.

D in M.

Amaritudo, Amertume. Incus, incudis, Enclume.
Consuetudo, Coustume.

D in T.

Pedere, Peter. Plaudere, Ploter.

E in A.

Mercari, Marchander. Perfectus, Parfaict.
Mercatus, le marché. Sapiens, Sauant.
Merx, Marchandise. Videns, Voyant.
Per, Par.

E in EI diphthongum.

Auena, Aueine. Ingènium, Engein. Ren, Rein.
Frænum, Frein. Plen⁹, Plein, Piciné. Strena, Estreine.

E in EV.

Conceptus, Conceu. Debitus, Deu, Deue.
Debitè, Deument. Receptus, Receu, Receue.
Debitum, Deut, vel Debte.

E in I.

Cera, Cire. Legere, Lire. quanquã vulgò
Dilacerare, Decirer. Precari, Prier. Tuile.
Ebrius, Yure. Tapes, Tapis. Temo, Timon.
Lectus, Lict. Tegula, Tieule. Venenum, Venim.

E in IE.

Fel, Fiel. Petra, la Pierre.
Ferus, Fier, Fiere. aut factum est ex Ferox. Petrus, Pierre.
Tepidus, Tiede.
Heri, Hier. Vetulus, Vieil, Vieille.
Mel, Miel.

E in O.

Ergo, Or.

E in OI.

Debeo, *ie Doy.*
Directus, *Droict, Droicte.*
Dormiebam, *Dormoye.*
Dormirem, *Dormiroye.*
Hæres, *Hoir.*
Legebam, *Liſoye.*
Legerem, *Liroye.*
Lex, *Loy.*
Rex, *Roy.*
Sericum, *Soye.*
Seta, *Soye.*
Stella, *Eſtoile.*
Tectum. *Toict*, vel *Tect.*
Tela, *Toile.*
Velum, *Voile.*
Verè, *Voire.*
Viderem, *Voiroye.*

G in C, vel CH.

Gingiua, *Genciue.*
Pungere, *Pincer.* vnde *Vne pince*, Latinè dicitur Forceps.
Mungere, *Moucher.*
Tangere, *Toucher.*

G in D.

Cingere, *Ceindre.*
Fingere, *Feindre.*
Iungere, *Ioindre.*
Pingere, *Peindre.*
Pungere, *Poindre.*
Spargere, *Eſpardre.*
Strīgere, *Eſtreindre.*
Surgere, *Sourdre.*
Tingere, *Teindre.*
Vngere, *Oindre.*

I in A.

Lingua, *Langue. Lange*, quo inuoluūtur infantes, pro *Linge.*

I in E.

Circulus, *Cercle.*
Epiſcopus, *Eueſque.*
Excipere, *Excepter.*
In, *En*, & ferè omnia compoſita ab In, veluti Infans, *Enfãt*, Inflare, *Enfler.*
Lætitia, *Lieſſe.*
Litera, *Lettre.*
Miſſus, *Mes de table.*
Mittere, *Mettre.*
Pauimentum, *Pauement.*
Veſtimentum, *Veſtement.*
Vitulus, *Veau.*

I in EI.

Mirabile, *Merueille*, vnde *Eſmerueiller.*
Vigilia, *Veille*, vnde *Eſueiller*: A Tranſuigilia, ſi diceretur, factum eſt *Trauail*: & à Tranſuigilare, *Trauailler.*

I in EV.

Viſus, *Qui eſt ueu*, Veue, *Bonne Veue.*

I in G.

Abbreuiare, *Abbreger.*
Diuio, *Digeon*, vel *Dijon.*

Gobio, *Gougeon.* Somnium, *Songe.*
Granarium, *Grange.* Somniare, *Songer.*
Mentis somnium, *Mẽsonge.* Sturio, *Esturgeon.*
Saluia, *Saulge.* Vindemia, *Vẽdenge: Vẽdenger.*
Simia, *Singe.* Viridarium, *Vergier.*

I in OI.

Bibere, *Boire.* Eligius, *Esloy.* Franciscus, *Francois.*
Digitus, *Doigt.* Fides, *Foy.*
Isara, *Oise*, fluuius; vnde *Pontoise.* Piscis, *Poisson.*
Ligeris, *Loire.* Pilus, *Poil.* Pirum, *Poire.*
Niger, *Noir, Noire.* Piper, *Poyure.* Pisum, *Pois.*
Pix, *Poix*, vel *Pois.* vnde *Poissard*, pro fure, & *Poisser.*
Siligo, *Soigle*, vel *Segle*, Secale. Via, *Voye.*
Strictus, *Estroict, Estroicte.* Vicinus, *Voisin, Voisine.*
Vitrum, *Voirre.*

I in V.

Fimetum, *Fumier*, tanquam dicas Fumiarium.
Primarius, *Prumier*, vel *Premier.*

L in R.

Apostolus, *Apostre.* Epistola, *Epistre.*
Capitulum, *Chapitre.* Luscinia, *Roscignol.*

L in T.

Ansula, *Ansette.* Palliolum, *Palleto.* Vlula. *Hulote.*

M in N.

Mappa, *Nappe.* Aliquãdo abiicimus m, velu
Matta, *Natte.* ti à Lãbere, dicimus *Laper.*

N in M.

Fœmina, *Femme.*
Somnus, *Somme*, vel *Sommeil*, vnde *Assommer.*
Vindocinum, *Vendome.*

N in V.

Constare, *Couster.* Sponsare, *Espouser.*
Consuere, *Coudre.* Sponsus, *Espoux.*
Consuetudo, *Coustume.* Tangere, *Toucher.*
Conuentus, *Couuent.* Tondere, *Touser.*

Aliquando abiicitur n. veluti à Manſio dicimus *Maiſon*, ab Inſula, *Iſle*.

O in A.

Domina, *Dame*. Octoginta, *Octante*.

O in E.

Amo, *i'Aime*. Ego, *Ie*, vel *Ge*. Imago, *Image*.
Cubo, *ie Couche*. Homo, *Homme*. Virgo, *Vierge*.

O in EV.

Ambitioſus, *Ambitieux*. Flos, *Fleur*.
Amoroſus, *Amoureux*. Hora, *Heure*, & *Heur*. vnde *Heureux*.
Bos, *Beuf*.
Coquus, *Queu*, vel *Cueu*, vnde *Cuiſinier*.
Cor, *Cœur*.
Doctor, *Docteur*.
Dolet mihi, *Il me deult*.
Dolor, *Douleur*, vel *Dolcur*.
Labor, *Labeur*.
Laborator, *Laboureur*.
Laborioſus, *Laborieux*.
Languor, *Langueur*.
Lector, *Lecteur*.
Modus, *Meud*, & *Mode*: illud dicitur de modis verborum, hoc ſignificat modum agendi.
Mola, *Meule*.
Mora, *Demeure*.
Mores, *Meurs*.
Morior, *ie Meur*.
Morum, *Meure*.
Nepos, *Neueu*.
Nodus, *Neud*.
Nouus, Nouem, *Neuf*.
Odioſus, *Odieux*.
Poſſum, *ie Peu*.
Probus, *Preud*, *Preude*: vnde *Preud homme*, *Preude femme*, *Preud vous face*, hoc eſt, *Bien*: *Les douze preuds*.
Sapor, *Saueur*.
Seditioſus, *Seditieux*: atque ita de nominibus Latinis terminatis in oſus. Langoroſus nō eſt Latinū, *Langoureux*.
Solus, *Seul*.
Soror, *Seur*.
Vapor, *Vapeur*.
Ventoſus. *Venteux*.
Vinoſus, *Vineux*.
Volo, *ie Veul*.

O in OEI.

Oculus, OE*il*.

O in OEV.

Ouum, OE*uf*. Opus, OE*uure*.

O in OV.

Amor, Amour.
Color, Couleur.
Coluber, Couleuure.
Florere, Flourir.
Labor, Labour, & Labeur.
Moles, Moule. Mẽsura crassiorum lignorum in vna strue.
Mori, Mourir.
Nos, Nous.
Plorare, Plourer.
Pollex, Poulce.
Pro Pour in compositione dicimus Pro & Pour.
Probare, Prouuer.
Probũ, Prou, hoc est multũ.
Prouidere, Prouuoir, & Pouruoir
Rota, Roue.
Totus, Tout.
Vos, Vous.

O in V.

Carnosus, Charnu.
Foliosus, Fueilleu.
Genosus, Iouflu.
Gulosus, Goulu.
Labiosus, Lipu, vel Lippu.
Membrosus, Membru.
Ramosus, Ramu.
Ventrosus, Ventr..

O in VI.

Coquere, Cuire.
Coquina, Cuisine.
Corium, Cuir. vnde Cuiraſſe.
Coxa, Cuisse. vnde Cuissot.
Depost, Depuist.
Hodie, Hui.
Hostreum, Huistre.
Nocere, Nuire.
Nox, Nuict,
Octo, Huit.
Oleum, Huile.
Ostium, Huis.
Possum, ic Puis, vel Peu. vnde Puissant, Puissante.
Post, Puist, vel Puis.

OE in OI.

Fœnum, Foin.
Mustela fœnaria, Foine.
Pœna, Poine, vel melius Peine.

P in B.

Constantinopolis, Constantinoble.
Duplicare, Doubler.
Duplus, Double.
Gratianopolis, Grenoble.
Vlyssipo, Lysbone.

P in C, vel CH.

Rupes, Roche.
Rupella, Rochelle.
Spuma, Escume.
Spumare, Escumer.

P in F.

Caput, *Chef.*

P in V consonum.

Aperire, *Ouurir.* Aprilis, *Auril.*
Capillus, *Cheueul.* vnde *Cheuel*, vel *Cheuet*, aliàs *Couſſin.*
Cooperire, *Couurir.* vnde *Couuercle*, *Couurechef.*
Cupa, *Cuue.* Cupella, *Cuuel*, vel *Cuuiel.*
Cupiſcere, *Couuoiſter*, vel *Couuoiſter.*
Cyprium æs, ſiue Cuprum, *Cuyure.*
Napus, *Nauet.* Recipere, *Receuoir.*
Pauper, *Poure*, vel *Pauure.* Ripa, *Riue.* vnde *Riuet* calcei.
Piper, *Poyure.* *Riuer ung clou.* *Riuiere.*
Rapa, *Raue.* Sepelire, *Enſeuelir.*

QV in C, vel CH.

Appropinquare, *Approcher.* Quinque, *Cinq.*
Coquina, *Cuiſine.* vnde *Cuiſinier.*

QV in G.

Æqualis, *Egal.*
Inæqualis, *Inegal.*
Aqua, *Aigue.* vnde *Aiguiere*, & *Aiguesmortes.*

R in S.

Camurus, *Camus*, *Camuſe.*

T in L.

Satur, *Saoul*, *Saoule.* Saturare, *Saouler.*

T in G.

Natare, *Nager.*

T in R.

Butyrum, *Beurre.* Putrere, *Pourrir.*
Latro, *Larron*, *Larronneſſe.* Putris, *Pourri.*
Nutrire, *Nourrir.* Tonitru, *Tonoirre.*
Petra, *Pierre.* Vitrum, *Voirre*, vnde dicimus
Petrus, *Pierre.* *Verrines* & *Verrieres.*

V in B.

Curuare, *Courber.* Curuus, *Courbe.*

V in E.

Auditus, *Ouye.* Circulus, *Cercle.* Mundus, *Monde.*

Seculum, *Siecle.*
Stabulum, *Eſtable.*
Velum, *Voile.*
Viſus, *Veue.*

V in EV.

Coluber, *Colevure.*
Fluuius, *Fleuue.*

V in F.

Breuis, *Bref*, vel *Brief*, *Brieue.*
Cerua, *Cerue.*
Ceruus, *Cerf.*
Clauis, *Clef.*
Grauis, *Gref*, vel *Grief.*
Natiuus, *Naif*, vel *Natif.*
Neruus, *Nerf.*
Ouum, *OEuf.*
Saluus, *Sauf.*
Seruus, *Serf.*

V in I.

Ebur, eboris, *Yuire*, vel *Yuoire.*
Pungere, *Pincer.*

V in N.

Pauo, *Pan*, vel *Paon*,
Rubus, *Ronce.*

V in O.

Amabamus, *Aimions.*
Amamus, *Aimons.*
Funda, *Fonde.*
Fundus, *Fond.*
Mundus, *Monde.*
Summa, *Somme.*
Sumus, *Sommes.*
Sunt, *Sont.*

V in OI.

Crux, *Croix.*
Cuneus, *Coin*, vel *Coing*, *Coigner.*
Iungere, *Ioindre.*
Nucula, *Noiſette.*
Nux, *Noix.*
Punctum, *Poinct.*
Pungere, *Poindre.*
Vngere, *Oindre.*

V in OV.

Bucca, *Bouche.*
Bullire, *Boullir.*
Cultellus, *Couteau.*
Culter, *Coultre.*
Curia, *Cour.*
Curtus, *Court.*
Fœniculus, *Fenouil.*
Fullo, *Foullon*, vnde *Fouller.*
Furnus, *Four.*
Genu, *Genouil.*
Muſcus, *Mouſce.*
Nutrire, *Nourrir.*
Sub, *Soub.*
Subitus, *Subit*, *subite.*
Subtilis, *Soubtil*, vel *subtil.*
Surdus, *Sourd.*
Surgere, *Sourdre.*
Turba, *Tourbe*, vel *Tourpe.*

V in VI ſeparata.

Conducere, *Conduire.*
Deſtruere, *Deſtruire.*

Ducere, *Duire.*
Instruere, *Instruire.*
Lucere, *Luire.*
Puteus, *Puis*, vnde *Puiser*, *Espuiser.*
Sum, *ie Suis.*

Nonnunquam *u* consonans, vt etiam *d*, *s*, & *t*, interiicitur vocalibus, ad perficiendum & replendum sonum. veluti pro *deant*, scribimus *deuant*, à Deante, quod non est Latinum. Pro *Aant*, scribimus *Auant*, ab Adante. Veruntamen quia *d* vocabulorum Latinorum sæpissime in Gallico sermone vertitur in *u*, videtur hoc loco *u* vocalis conuerti tantum in *u* consonans. *Aueugle* compositum ex A priuatiuo, & *eul*, vel *eugle*, hoc est, sine oculo. Exemplum aliarum literarum, veluti pro *Deens*, quod est à Deintus, scribimus *Dedens*, interponentes *d*. Pro *Desarmer*, scribimus *Desarmer*, interponentes *s*. Pro *Ma ante*, scribimus *Ma tante*, addentes *t*, vt plenus sit sonus, & facilis in pronuntiatione.

X in S, vel SS.

Axis, *Aissel.*
Exire, *Issir.*
Exitus, *Issue.*
Experiri, *Esprouuer.*
Extraneus, *Estrangier*, vel *Estranger.*

NOVEM ALII MODI FORMANdi Gallica vocabula ex Latinis, à maioribus nostris obseruati.

Primus modus, præponendo vocabulis Latinis literã vnam. veluti à Spiritus, fecerũt *Esprit*. à Spina, *Espine*, præponendo *e*.

II. Interiiciendo in medio vocabuli literam aliquã: veluti à Puella, *Pucelle*, vbi interiicitur *c*: à Turbare, fecerunt *Troubler*, interiicientes *l*.

III. Adiiciendo literam aut syllabam fini vocabuli, veluti à Quæstio, Portio, & similibus, fecerunt *Question*, *Portion*, addendo *n*.

IIII. Detrahendo à principio vocabuli Latini literam vel syllabam: veluti à Sordidus, fecerunt *Ord*, à Ieiunium, *Iune.*

v. Auferendo è medio vocabuli literam vel syllabã: veluti à Fidere, fecerunt *Fier*: à Laudare, *Louer*: à Plaga, *Playe*: à Sagum, *Saye*.

vi. Reiiciendo literam vel syllabam è fine vocabuli Latini: veluti ab Odiosus, fecerunt *Odieux*: ab Adorare, *Adorer*.

vii. Diuidendo syllabas: veluti à Boscum, *Bois*, vnius syllabæ, fecerunt *Bouis* duarum syllabarum, quod Latinè significat Buxum. Ab Habeo, *i'Ay*, vnius syllabæ, fecerunt *Ie hai* duarum, Latinè Odi.

viii. Contrahendo duas syllabas in vnam: veluti ex Saturus, *Saul*: ex Seruus, *Serf*.

ix. Transponendo aliquas literas vocabulorum Latinorum: veluti à Celer fecerunt *Legier*: à Fistula, *Fleute*: ex Scintilla, *Estincelle*: ex Torrere, *Rostir*: à Mutus, *Muet*: à Liber, *Liure*.

REGVLAE QVAEDAM AD AMPLIOrem declarationem prædictarum IX rationum.

Quando vocabulum Latinum incipit ab *s*, quam statim sequatur alia consonans, ferè semper Galli præponunt *e*: veluti,

Scala, *Eschelle*.	Spes, *Espoir*.	Sella, *Estoille*.
Schola, *Eschole*.	Spissus, *Espés*.	Stramen, *Estrain*.
Scintilla, *Estincelle*.	Spuma, *Escume*.	Strigilis, *Estrille*.
Spatium, *Espace*.	Squama, *Escaille*.	Studium, *Estude*.

Quia in vocabulis Gallicis terminatis in *lre*, *mre*, *nre*, *sre*, *mle*, *nle*, non possumus sonare siue pronũtiare *l*, *m*, *n*, *s*, ante *r*, in eadem syllaba, neque *m* & *n* ante *l*, nisi quid interiiciatur: ponimus *b* inter *mr*, *ml*, & *g* inter *nl*, & *d* inter *lr*, *nr*, *sr*. Exemplum,

lr Puluis, *Pouldre*. Corylus, *Couldre*. Voluero, *ie Vouldray*. Vellem, *ie Vouldroye*. Molerem, *ie Mouldroye*. Molere, *Mouldre*. Soluero, *ie Souldray*. Soluere, *Souldre*. Valebo, *ie Vauldray*. Valerem, *ie Vauldroye*.

mr Camurus, *Cambre*. Numerus, *Nombre*. Cucumer,

Cõcõbre. Camera, *Chãbre.* Marmor, *Marbre*, vbi *m* vertitur ĩ *br* Tener, *Tendre*. Gener, *Gendre*. Generare, *Engendrer*. Venus, veneris, *Vendre*: vnde *Vendredi*, Latinè dictus, dies Veneris. Minor, *Moindre*. Ponere, *Pondre*. Tenerem, *ie Tiendroye*.

fr Consuere, *Cousdre*.

ml Cumulus, *Comble*. Cumulare, *Combler*. Humilis, *Humble*. Similis, *Semblable*: vnde *Ressembler*.

nl Spinula, *Espingle*. Latinè dicitur acicula.

Quòd ad supradictam tertiam rationem attinet, vocabula Latina terminata in o, addendo *n* ad finem, facimus nostra: veluti,

Carbo, *Charbon*.	Opinio, *Opinion*.	Sapo, *Sauon*.
Cato, *Caton*.	Pensio, *Pension*.	Seditio, *Sedition*.
Cicero, *Ciceron*.	Rebellio, *Rebellĩõ*.	Sermo, *Sermon*.
Cõfessio, *Cõfession*.	Religio, *Religion*.	Suspicio, *Souspecon*.

Verùm quædam terminata in io, non retinent i quando fiunt Gallica: veluti, Mansio, *Maison*. Oratio, *Oraison*. Venatio, *Venaison*. Ratio, *Raison*.

Ex nonnullis istorum, formamus verba primæ coniugationis, quemadmodum ex Latinis: veluti ex

Facon, *Faconner*.	Question, *Questionner*.
Larron, *Larreciner*.	Raison, *Raisonner*.
Maison, *Maisonner*.	Sermon, *Sermonner*.
Moisson, *Moissonner*.	

Quædam ex illis terminamus in *e*: veluti Æstimatio, *Estimation*, *Estime*. Auscultatio, *Escoute*. Cessatio, *Cessation* & *Cesse*. Homo, *Homme*. Maiores nostri frequenter scripserunt *Hom*, in significatione impersonali passiua: veluti vt Gallicè verterent, Curritur, scribebant, *hom courr*, vel *l'hom courr*, tanquam si Latinè diceretur, Homo currit: vnde factum est nostrum *On dit*, *On fait*, pro Latino Dicitur, Fit: *h* ablato, & *m* verso in *n*. Magnitudo, *Magnitude*. Ordo, *Ordre*, interponendo *r*. Margo, *Marge*. Imago, *Image*. Virgo, *Vierge*. Sic ferè fit ex omnibus quæ Latinè terminantur in do, vel go.

Ex vocabulis Gallicis masculinis terminatis in *e*, facimus fœminina addendo *sse*. veluti ex *Prince*, *Princesse*. *Maistre*, *Maistresse*. *Hoste*, *Hostesse*. *Conte*, *Contesse*.

Quòd si desinant in consonantem, adiungimus *e* ad *sse*: veluti ex *Duc* facimus *Ducheſſe*. ex *Larron*, *Larronnesse*.

Vocabula Latina terminata in a, in as, vel in es, fiunt Gallica, terminando ea in *esse*: veluti ex Duritia, vel Duricies, facimus *Duresse*, aut potius *Dureté*.

Gentilitas, *Gentillesse*. Pigritia, *Paresse*.
Lætitia, *Liesse*. Ruditas, *Rudesse*.
Largitas, *Largesse*. Tristitia, *Tristesse*.
Nobilitas, *Noblesse*. Sic Mentitrix, *Mentereſſe*.
Nutrix, *Nourrisse*.

Dictum est suprà in quarta ratione, vt faciamus Gallica vocabula ex Latinis, nonnunquam ex principio vocabuli Latini auferri literam vel syllabam: velut ex Sordidus, *Ord*, *Orde*. Sordidare, *Ordir*. Sordes, *Ordure*. Glis, *Loir*. Ieiunium, *Iune*. Ieiunare, *Iuner*.

In quinta ratione etiam dictum fuit, frequentissimè auferri ex fine vocabuli Latini literam vel syllabam, vt fiat vocabulum Gallicum: maximè in vocabulis Latinis terminatis in ulus, ula, ulum: veluti Articulus, *Article*. Titulus, *Title*, vel potius *Titre*, *l* mutato in *r*.
Angulus, *Angle*. vnde *Anglet*. Stabulum, *Estable*.
Bubalus, *Busle*. Tabernaculum, *Tabernacle*.
Circulus, *Cercle*. Vngula, *Ongle*.
Regula, *Reigle*. Vocabulum, *Vocable*.
Verùm ex Calamus facimus *Chaulme*: ex Periculum, *Peril*.

Nomina Latina terminata in ILIS, vel BILIS.

Quæ terminantur in ILIS, vel BILIS apud Latinos, nostra facimus terminando in *le* vel *ble*. veluti
Agilis, *Agile*.
Amabilis, *Aimable*, vel *Amiable*.
Credibilis, *Credible*, vel *Croyable*.
Durabilis, *Durable*.
Honorabilis, *Honorable*.

Laudabilis, *Louable.* Venerabilis, *Venerable.*
Mobilis, *Mobile.* Vēdibilis, *Vendible*, vel *Vendable.*
Similis, *Semblable.* Vtilis, *Vtile.*
Sterilis, *Sterile.*

Verba Latina terminata in FICO, vel GO.

Verba primæ coniugationis Latinorum, terminata in FICO, vel GO, facimus Gallica auferendo syllabam CA, vel GA: veluti,

Ædificare, *Edifier.* Mendicare, *Mendier.*
Castigare, *Chastier.* Mollificare, *Mollifier.*
Fortificare, *Fortifier.* Publicare, *Publier.*
Magnificare, *Magnifier.* Sacrificare, *Sacrifier.*

Verùm à Fatigare dicimus *Fatiger*: à Mitigare, *Mitiger*: à Fustigare, *Fustiger.*

Verba aut Nomina Latina in INA, vel INARE.

Quibusdam aliis Verbis aut Nominibus auferimus IN vel INA, veluti,

Nominare, *Nommer.* Fœmina, *Femme.*
Germinare, *Germer.* Lancinare, *Lancer*, hoc est
Terminus, *Terme.* Pungere.
Lamina, *Lame.*

G Latinum ablatum.

Aliis auferitur g, veluti, Plaga, *Playe*. Paganus, *Payen.* Sagum, *Saye.*

Nomina in ALIS.

Nomina Latina terminata in ALIS, fiunt Gallica auferendo IS à fine, Liberalis, *Liberal.*
Principalis, *Principal.* Æqualis, *Egal.*
Nuptialis, *Nuptial.* Generalis, *General.*
Regalis, *Royal.*

Talium pluralis ferè in omnibus terminatur in *aulx*, *Liberaulx*, *Generaulx*, *Principaulx.*

Multa ex his mutant a in e: veluti Naturalis, *Naturel*, terminatum vt *Solennel*, *Maternel*, *Fraternel*, *Paternel.*

De Latinis terminatis in MENTVM.

Terminatis in MENTVM aufertur VM, vt fiāt nostra:

veluti Sacramentum, *Sacrement.*

Iuramentum, *Iurement.* Veſtimentum, *Veſtement.*
Fundamentum, *Fondement.* Pauimentum, *Pauement.*
Vnguentum, *Onguent.* Nutrimentum, *Nutriment.*
Monumentum, *Monument.* vel *Nourriſſement.*

Terminata in LENTVS, fiunt Gallica auferēdo VS: veluti, Fraudulentus, *Fraudulent.*

Opulentus, *Opulent.* Sanguinolentus, *Sanglant*, &
Somnolentus, *Somnolent.* non *Sanguinolent.*

Nomina Latina in ARIVS & ARIVM.

Quæ terminantur in ARIVS & ARIVM, quum fiunt Gallica, terminātur in IER: veluti *Serrurier*, à Seraturarius, ſi Latinè dici poſſet.

Armurier, ab Armaturarius. *Eſpinglier*, à Spinularius.
Ceincturier, à Cinctarius. *Gremer*, à Granarium.
Couſturier, à Conſuturarius.
Larmier, à Lachrymarium, quod eſt veluti cinctura domus facta gypſo, aut calce, aut lapide, reiiciens guttas (quæ ſunt veluti lachrymæ) decidētes de tecto, procul à pariete. *Prunier*, *Pommier*, *Poirier*, *Meurier*, & ferè omnia alia nomina arborum, quæ dicimus Latinè Prunus, Pomus, Pyrus, Morus, Prunarium, Pomarium, Pyrarium, Morarium.

Leurier, à Leporarius. *Vergier*, à Viridarium.
Poullier, vel *Poullalier*, à Pullularium. *Voicturier*, à Vectarius.

Verùm ab Armarium dicimus *Armoire*: à Donarium, *Douaire*: à Caldarium, *Chaudiere*: à Norarius, *Notaire*: à Secretarius, *Secretaire*: & ab aliis huiuſmodi infinitis.

Nomina Latina terminata in OSVS.

Vocabula Latina terminata in OSVS, facimus Gallica auferendo VS, & mutando o in *eu*, aliquando in *u*: veluti Vinoſus, *Vineux*, *Vineuſe*, mutando *x* in *ſ*. Ambitioſus, *Ambitieux*, *Ambitieuſe*. Odioſus, *Odieux*, *Odieuſe*, & alia huiuſmodi, de quibus dictum eſt in mutatione o in *eu*. Membroſus, *Membru*. Carnoſus, *Charnu*. Verùm dicimus à Ialoſus (ſi

Niger, Noir.
Noſter, Noſtre.
Ruber, Rouge.
Saluber, Salubre.
Tener, Tendre.
Veſper, Veſpre.

R tranſpoſitum.

R etiam vocabuli Latini tranſponitur aliquando faciendo illud Gallicum, vt Pro, Pour. Verus, Vré, Vrée: & melius Vray, Vraye. Temperare, Tremper. Granarium, Garnier, vel, Grenier. Garnier nonnulli deriuant à Granire, voce ficta, quaſi ſignificaret Munire grano. Vnde etiã deduceretur Garniſon. quo nomine intelligitur munitio vrbis, facta potiſſimum granorum aſſeruatione, aut etiam militibus vrbem tuentibus. Ab hac voce Garniſon quidam aiunt deriuari etiam Garſon. ob aſſuetam improbitatem huiuſmodi militibus quos Garniſons appellamus. vnde etiam dicitur, Mauuais garſon, Mauuais garnement.

Nomina Gallica facta ex genitiuo tertiæ declinationis Latinæ.

Nomina Gallica formata à genitiuo tertiæ declinationis Latinæ, vtplurimum retinent conſonantem genitiui: in aliquibus i quod conſonantẽ ſequitur, vertitur in e: vt,

Anas anatis, Anate.
Ars artis, Art.
Calix calicis, Calice.
Flos floris, Fleur.
Fraus fraudis, Fraude.
Glans glandis, Gland, Glande.
Lens lentis, Lente.
Lepus leporis, Lieure.
Mons montis, Mont, Montaigne.
Nox noctis, Nuict.
Nutrix nutricis, Nourrice.
Opus operis, Oeuure.
Pars partis, Part.
Pes pedis, Pied.
Pollex pollicis, Poulce, & Poulſe.
Pons pontis, Pont.
Salus ſalutis, Salut.

A nominibus Latinis habentibus ſ in medio, auferimus literas quæ ſequuntur ſ, quum Gallica facere ea volumus: vt,

Ambroſius, Ambroiſe.
Auguſtinus, Auguſtin.
Dionyſius, Deniſ.
Franciſcus, Francois.
Geruaſius, Geruais.
Occiſus, Occis.

Omissum, *Omis.* Prothasius, *Prothais.*
Pisum, *Pois.* Valesius, *Valois.*

Quæ desinunt in EVS, significantia rem factã ex aliqua materia, facimus Gallica præfigẽdo *de* eorũ primitiuo: vt,

Æreus, *D'aráin.* Plumbeus, *De plomb.*
Argenteus, *D'argent.* Stanneus, *D'estain.*
Aureus, *D'or,* Terreus, *De terre.*
Ferreus, *De fer.*

Verùm si sint Participia præterita, pro atus ponimus *e*, vt in linguam Gallicam transeãt: veluti, Deauratus, *Doré.* Argentatus, *Argenté.* Ferratus, *Ferré.* Plumbatus, *Plombé.*

Aliquando vocales dictionis Latinæ in diphthongum redigimus, interiectam consonantem detrahentes: vt, Satur, *Saul*, vel *Saoul.* Saturare, *Sauler.* Securus, *Seur:* vnde *Asseurer:* Securitas, *Seureté.* Aqua, *Eaue.*

De Nominibus Gallicis desinentibus in *age.*

Multa vocabula habemus deriuata à dictionibus quæ barbaræ sunt, licet terminationem Latinam præ se ferant: videlicet in GIVM. vt,

Ab *Auant* facto ex Ad ante, *Auantage:* vnde *Auantager.*
A Cor, *Cueur*, Couragium, *Courage.*
A Damnum, *Dam*, Damagium, *Dammage*, aut potius *Dommage.*
Ab Homo, *Homme:* Homagium, *Hommage.*
A Lingua, *Langue:* Linguagium, *Language.*
A Passus, *Pas:* Passagium, *Passage.*
A Potus, *Pot:* Potagium, *Potage.*
A Via, *Voye:* Voiagium, *Voyage.*
A Villa, *Ville:* Villagium, *Village.*
A Visus, *Veue:* Visagium, *Visage.*
Ab Vltra, *Oultre:* Vltragium, *Oultrage*, vnde *Oultrager.*

De Nominibus Gallicis in *aigne*, aut *ine.*

Quædam sunt præterea facta ex Latinis adiectiuis in fœminino genere, tanquam substantiuis: ea autem desinunt in *aigne*, vel *ine*; vt

Ex Fontana, Medica, Medicinus, Montana, facta fue-

runt *Fontaine*, *Medecine*, *Montaigne*. Ex Radix, *Racine*: ex Pectus pectoris, *Poictrine*: ex Naris, *Narine*: ex Fames, *Famine*: perinde acsi dicerentur, Radicina, Pectorina, Narina.

De terminatis in ee.

Ex Latinis item participiis, tanquam substantiuorum nominum significationem habentibus, fecerunt Galli nomina substantiua. Verbi gratia, Ex Intrata fecerũt *Entree*. Ex Armata, *Armee*.

Ex Curuus, aut Coruus, *Coruee*, aut *Courvee*: quæ vox significat laborem qui pro alio suscipitur sine vlla mercede.

Ex Calcata, *Chaussee*.
Ex Horata, *Horee*.
Ex Montata, *Montee*.
Ex Pensata, *Pensee*.
Ex Salita, *Saillie de maison*.
Ex Tosta, *Tostee*, vel *Rostie*.
Ex Vallata, *Vallee*.
Ex Vndata, *Ondee*.

Et alia innumera, vt *Duree*, *Rosee*, *Trainee*, &c.

De Nominibus Gallicis terminatis in ee.

Ex Nominibus Latinis terminatis in TIA, facta fuerunt Gallica terminata in CE. præsertim ex multis hanc Latinam terminationem habentibus, non Latinis tamẽ. Exempli causa, Scientia, *Science*.

Alligantia, *Alliance*.
Cognoscentia, *Cognoissance*.
Credentia, *Creance*.
Fidentia, *Fiance*.
Laudantia, *Louange*.
Recredentia, *Recreance*.
Recuperantia, *Recouurance*.
Sapientia, *Sapience*.
Seminantia, *Semence*.
Sperantia, *Esperance*.
Subuenientia, *Soubuenance*.
Sufferentia, *Souffrance*.
Vacuantia, *Vuidenge*.
Vindicantia, *Vengeance*.

Verba facta ex Participiis.

Nonnunquam ex Participiis præsentis temporis facimus Verba, vt ex Greuant, *Greuanter*, vel *Grauenter*: Plaisant, *Plaisanter*: Puant, *Empuantir*.

De verbis Latinis terminatis in DO.

Vt fiant Participia Gallica ex verbis Latinis terminatis in DO, relinquitur de ve

Findo, *Fendu*, *Fendue*.
Fundo, *Fondu*, *Fondue*.
Pendeo, *Pendu*, *Pendue*.

Tendo, *Tendu*, *Tendue*, Tondeo, *Tondu*, *Tondue*.

De Infinitiuo loco Nominis.

Sæpe vtimur Infinitiuo vice Nominis, vt quum dicimus, *En son dormir*, ad verbum; In suo dormire, id est, in suo somno.

Pour son manger, id est, pro suo cibo.

Mon disner, id est, cibus ad prandendum. vel, quem prandeam. *Ton disner.* *Son soupper.*

Mieulx vault scauoir que grand auoir, pro, Plus valet scientia quàm opulentia.

Il est d'ung bon scauoir, pro, Doctrinam habet solidam & certam.

Il ha ung bel auoir de brebis, pro; Habet pulchrum gregem ouium.

De negatione Gallica.

Varias insuper habemus voculas, quibus vtimur negare volentes aliquid. vt

Ame, ex Anima. *Pas*, ex Passus.

Goutte, ex Gutta. *Personne*, ex Persona.

